



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus XXIV. De Donationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

eam & renunciacionem facturus, si sciret debitum non esse; cum in eo casu non solveret, sed donaret. Castrop. *l. c.* unde, ut Idem ex Molin. si solvens in renunciacione adderet, se renunciare conditioni indebiti vel sine causa, si comperiat se solvisse indebitum, teneret denunciatio; quia cessaret error, & succederet donatio. Sed neque renunciatio talis juramento firmata magis impedit

repetitionem indebiti, quam si nullum adjectum juramentum; cum juramentum promissioni adjectum proferatur in eodem sensu & significatione, ac ipsa promissio; promissio autem hæc & renunciatio supponit debitum; adeoque hac suppositione deficiente, sicut deficit renunciatio ita & juramentum. Castrop. *l. c. n. 3.* cum Mol. & Gutt.

TITULUS XXIV.

De Donationibus.

CAPUT I.

De natura & divisione donationis, deque iis, qui donare, quibus, & quæ donari possint.

Quest. 555. Quid sit Donatio.

R Esp. Donatio in genere, prout comprehendit donationem inter vivos & eam, quæ fit mortis gratiâ, item eam, quæ fit verbis, & eam, quæ fit facto, sic explicatiùs describi potest, quod sit actus, quo res licita animo dominium illius irrevocabiliter transferendi conceditur alicui. Ita ferè Barbof. *ad b. rub. n. 5.* Lauterb. *h. t. §. 3. & 4.* Stru. *ibid. th. 2.* Breviùs verò describitur à Castrop. *ir. 32. d. 1. p. 1. n. 7.* & aliis, quod sit liberalis bonorum suorum alteri facta concessio. Dicitur primò: *actus.* Quod nomen rectiùs adhiberi quàm nomen *contractus*, defendit Muller. *in Stru. l. c. lit. B.* contra Bart. *in l. 7. ff. de pactis. n. 2.* Jafon. *ibid. n. 9.* Coraf. *l. 1. miscell. 23.* Welenb. *h. t. n. 1.* & c. eò quod contractus conventionem constet; donatio verò ex propensa voluntate & liberalitate; quin & contractus & donatio sibi invicem opponantur. *L. 14. ff. de precar. l. 1. §. si uxor. ff. donat. inter vir. & mulier.* Quibus tamen non obstantibus, donatio, ut Muller. *l. c.* nonnunquam refertur ad contractus, generalius aliquanto accepto nomine contractus pro quacunque obligatione efficaci. Arg. *l. 10. ff. de judic. vel quateus ea per contractum stipulationis perficitur. l. 22. ff. h. t.* Dicitur secundò: *quores licita;* siquidem rei illicitæ donatio, uti & venditio, nulla est. *L. quod sepe §. veneni mali. ff. de contrab. empr. unde donans ad eam tradendam compelli nequit. Abb. ad rub. h. t.* Dicitur tertio: *animo transferendi irrevocabiliter ejus dominium;* quibus verbis adhuc includitur donatio verbalis seu imperfecta, per quam, utpote defitutam traditione, etfi non transferatur dominium, continere debet tamen animum & intentionem media traditione transferendi dominium rei verbis concessæ, seu potiùs promissæ, (ex quo etiam eam parum à promissione differre, ait Castrop. *l. c. n. 8.*) ut nomen donationis mereatur. Differt autem per eadem verba a commodato & precario, quia his contractibus res, non domini, sed usùs transferendi animo & revocabiliter datur; cum accipiens eandem rem in specie seu individuo reddere debet. Item à mutuo, quo in accipientem quidem transit rei dominium, sed non irrevocabiliter; cum etfi non eadem accepta in specie, alia tamen ejusdem generis seu ra-

tionis sit reddenda. Dicitur quartò: *liberaliter.* hoc est, nullo jure (intellige, strictè tali seu existitia obligante) cogente. Unde per dictam particulam non excluditur donatio remuneratoria; cum liberalitati non repugnet gratitudo & meritorum remuneratio, utpote solum honestate, & non ex necessitate debita, ut Castrop. *l. c. p. 13. n. 1.* Quare etiam ait de Lugo. *de f. & f. d. 23. n. 129.* utramque donationem, tam remuneratoriam, quàm merè gratitatem esse veram donationem, etfi merè gratuita nulla supponat merita donatarii; remuneratoria verò respiciat merita aliqua precedentia & debitum gratitudinis. De quo plura paulò post.

Quest. 556. An & qualiter, ut donatio perfecta sit, requiratur in donante voluntas.

R Esp. Principaliter & ante omnia requiritur in donante libera & liberalis voluntas transferendi rei propriæ dominium in alium. *§. 2. Inst. l. 10. & 30. c. h. t.* Quæ quia carent furiosi & mente capti, utpote quorum nulla voluntas, ut dicitur. *L. 47. ff. de acquir. hered. & nullus consensus. l. 10. ff. de curat. furios.* donare non possunt. Eaque signo externo illius sufficienter expressivo manifestata, quodcumque illud sit. Non enim ad valorem ejus refert, si verbis, si literis, si facto alio declaratur animus ille donandi. *cit. §. 2. Inst. h. t.* Stru. *in ff. h. t. th. 5.* Lauterb. *ibid. §. 5.* cum communi. Citra autem talia signa v. g. dum quis nudè rem tradit, vel etiam in dubio, num sufficienter per ea declaratur. Illa voluntas, ea non præsumitur; cum donare dicatur perdere. *L. 7. ff. h. t.* nemo autem quod suum est, perdere & jactare velle præsumitur. *l. 25. ff. de prob. & ita cum communi Menoch. l. 2. de arb. cas. 88. n. 2.* Mascard. *de prob. vol. 1. concl. 55. à n. 1.* Barbof. *de axiom. l. donare.* Lauterb. *§. 6.* Muller. *ad Stru. cit. th. 5. lit. S.* Quominus tamen quandoque dicta voluntas rectè præsumatur accedentibus non levibus conjecturis, nihil vetat, ut tradit Menoch. *l. c. n. 8.* Sic si quis sciens rem indebitam solverit, donasse illam præsumitur. *l. 73. ff. de reg. jur. item si creditor debitori chirographum vel cautionem redderit, donasse vel remisisse debitum videtur. l. 2. ff. de pactis.* Lauterb. *l. c.* item instrumentum emptionis alicui donans

cen-

enferetur rem in eo comprehensam donasse; cum aliâ nulla esset instrumenti utilitas. *l. 1. c. b. 1. & ibi Brunem. Lauterb. l. c.* Item post merita alicui dans aliquid, illud in remunerationem donasse creditur. *l. 12. §. 8. ff. mandati. Menoch. l. c. n. 53.* apud quem vide plures similes conjecturas. Qui tamen etiam in §. mohet, iudicis arbitrio relinquendum, quamvis conjecturæ ad præsumendam donationem sufficiant.

Quest. 557. An & qualiter ad donationis perfectionem & valorem ex parte donatarii requiratur acceptatio.

Resp. Tamen si solius voluntatis donantis meminert Imperator. §. 2. *Inst. h. t.* ea tamen non sufficit, sed requirit insuper necessario voluntatem habendi datum, seu acceptationem illius, indubitati juris est, ita ut in ea consistat essentialis perfectio donationis, ut Muller. *l. c. th. 8. lit. a.* & ante acceptationem donatarii nulla pariat in donante obligatio, neque civilis, neque naturalis, nullumque in donatario jus exigendi donatum vel potius promissum; adeoque desinitur omni effectu. Unde donans sine ulla læsione fidei aut juris donatarii possit donationem moderati, mutare & in totum revocare. *l. 10. ff. h. t. & arg. l. si pater ff. de manumiss. Molin. de primogen. l. 4. c. 2. n. 58. Jul. Clar. §. donatio. q. 12. Less. l. 2. c. 18. du. 6. n. 34. Reb. de oblig. just. l. 18. q. 1. n. 3. Castrop. tr. 32. d. 2. p. 2. n. 1. §. 2. Lauterb. §. 7. Stru. h. t. th. 8. lit. b.* ex ea ratione, quod obligatio intelligi nequeat orta nisi mutuo duorum consensu, quorum unus se obliget, alter obligationem acceptet juxta *l. 1. ff. de pactis*; & invito vel nolenti (qualis esse posset, qui ignorat sibi factam donationem) beneficium non datur. *l. 156. §. 4. ff. de reg. jur.* Sic itaque dum absenti vel ignoranti fit donatio, isque moriatur, antequam donationis noticia ad ipsum perveniat, adeoque antequam eam acceptarit, nullum ei jus, neque in re, neque ad rem acquisitum fuerit, & consequenter ejus hæredibus. Carpz. *l. 1. resp. 62.* Muller. *l. c. th. 8. lit. d.* Lauterb. §. 8. & AA. mox citandi. Sed neque hæredibus in casu mortis donatarii competit jus acceptandi, quod donatario viventi competeat; eò quod dictum jus acceptandi erat jus personale, quod morte donatarii extinguatur; cum sit potestas, quam quilibet habet sibi, & non alteri stipulandi. Castrop. *l. c. p. 4. n. 8.* citatis Tiraq. *de constit. p. 3. limit. 30. n. 68.* Alciat. *in c. cum contingat de iur. jur. à n. 314.* Reb. *l. c. q. 3. n. 6.* Less. *l. c. n. 35.* Gabr. *Tom. 1. comm. pag. 710.* & aliis contra Covar. *ad rubr. de de restam. n. 13.* Molin. *de primogen. l. c. n. 77.* Molin. *de 7. §. 7. l. c.* Sanch. *de Matrim. l. 6. n. 6.* Idem est, seu sine effectu est donatio, si donans moriatur, antequam donatarius tesciat sibi factam donationem. *l. 2. §. 6. ff. h. t.* nisi illum acceptare eam & ratificare voluerit post mortem suam. Castrop. *l. c. n. 11.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 1. circa finem.* Brunem. *ad cit. l. 2. n. 5.* Carpz. *J. p. p. 2. c. 12. def. 20.* Clarus §. *donatio. q. 12.* Lauterb. *l. c.* Stru. *ad ff. h. t. th. 8. lit. n. & ibidem Muller.* eò quod, ut Idem, voluntas donantis & donatarii non sit unita ante obitum donantis, ex post autem uniti non potuerit in præjudicium hæredum donantis, quibus jam jus questum ad rem donatam. Contrarium non improbabili ter docentibus apud Castrop. Molin. *de mog. c. 2. n. 77.* Sanch. *de matrim. l. 1. d. 6. n. 5.* Less. *l. c. n. 45.* Rebello. *l. c. n. 7.* & aliis ex ea ra-

tionem, quod donatio illa ante mortem donantis non fuit revocata, quod illa donatione sit gratia facta donatario; gratia autem facta morte donantis non expiret. Quodque facultas revocandi donationem non transeat ad hæredes. Quid tamen ad hæc respondeat Castrop. vide apud eundem *n. 12.* qui tamen etiam *n. 14.* quod si donatio ad pias causas facta, donante ante acceptationem mortuo, mandatum ob favorem causæ non expiret; sed aequè ab administratore pia causa acceptari possit, ac si donans vivus existeret, ut docet Tiraq. *de priv. caus. p. 80.* (addens idem esse ad favorem dotis & scholasticorum) Covar. *1. var. resol. c. 14. n. 16.* Less. *l. c. n. 46.* Sanch. *l. c. n. 8.* de cætero si donatarius ante mortem donantis non potuit rem donatam acceptare; quia huncius, cui ea commissâ deferenda, eam malitiosè detinuit vel absumpsit, teneri illum ad estimationem illius donatario ejusve hæredibus, tenent Molin. *tr. 2. d. 263.* Sanch. *l. c. n. 8.* Less. *l. c. n. 36.* Sed neque in hoc casu donatio facta coram tertio. v. g. amico donatarii ab eo cum effectu acceptari potuit, dum is ad hoc mandatum non habuit, nisi vivo adhuc donatore, ab absente donatario rata fuerit habita. *L. 24. ff. de negot. gest. Carpz. cit. resp. 62. n. 7. & seq. Lauterb. l. c.* Idem est, etiam si facta coram Notario illam acceptante nomine absentis donatarii, si mandato ad hoc instructus non fuerit. Carpz. *l. c. n. 4.* Muller. Lauterb. *l. cit.* contra Clarus & Zoëf. *h. t. n. 67.* qui tamen contrarium de Notario de consuetudine obtinere putat, non probat. Secus est, si Notarius aut tertius talis ad hoc mandatum habet. *l. 6. c. §. 1. 10. ff. h. t.* Quod si tamen etiam donator per epistolam vel nuncium specialiter ad hoc destinatum donatario liberalitatem suam significaverit, (secus est, si quis alius motu proprio eam illi significavit) valere donationem, etsi expressè non fuerit acceptata; quia præsumitur acceptata, non secus, ac facta præsentis tacenti absentis; eum nemo censetur liberalitatem respicere, asserit Lauterb. *l. c.* citatis pro hoc *l. 4. §. 19. ff. §. l. 6. c. h. t. & Menoch. c. 6. præsump. 99. n. 13.* Claro *l. 4. sent. §. donatio. q. 14. n. 5.* Carpz. *cit. c. 12. def. 21.* Idem cum Stru. *l. c. lit. d.* tradit Muller. De cætero non requiritur, ut dicta acceptatio fiat in instante, etiam dum donatio fit præsentis, sed sufficit utriusque donantis & donatarii consensum ex post facto copulari. Lauterb. §. 7. arg. *l. 5. c. h. t.* Sed & sufficit eam quocunque modo declarare, sicut de voluntate donantis dictum est q. præced. censeturque etiam fieri à præsentis tacente juxta reg. Jur. in §. qui tacet consentire videtur, saltem in iis, quæ in ejus favorem cedunt. Clar. *l. c. q. 14. n. 5.* Azor. *p. 3. l. 11. c. 5. q. 2.* Pirh. *h. t. n. 2.*

2. Limitatur nihilominus responsio primò, ut non extendat se ad donationes factas ecclesiæ aut causæ piæ, sed eæ illico obligent, nec revocari possint, etiam ante factam acceptationem à Rectore ecclesiæ, aut ab administratore alterius causæ piæ. Eò quod talis donatio fiat ipso Deo, isque eam gratam & ratam habere præsumatur, ac ita acceptatione hominis non egeat. Ita docent Felin. *in c. 1. de pactis. Sylv. V. pollicitatio.* Less. *l. 2. c. 18. n. 38.* §. 40. Barbof. *Jur. eccl. l. 2. c. 13. n. 29.* Tiraq. *de priv. caus. p. 8.* priv. l. 15. Covar. *in c. quamvis pactum. 2. part. §. 4. n. 15.* Molin. *tr. 2. d. 263.* Muller. *cit. th. 8. lit. d.* Brunem. *ad l. 10. h. t. n. 4.* contrarium tenent Castrop. *l. c. n. 5.* citatis pro eodem Gl. *in illud. c. de SS. eccl. V. alia causa.* Claro. *l. c. q. 12.* Covar. *l. 1. var. resol. c. 14. n. 16.* Molin. *de primogen.*

primog. l. 4. c. 1. n. 8. Rebell. *l. c. p. 2. l. 18. q. 3.* Sanch. *l. 4. mor. c. 41. n. 7.* *Et de matr. l. 1. d. 6. n. 16.* ex ea ratione, quod promissio (idem est de donatione) ante acceptationem nullam, etiam naturalem, pariat obligationem; cum non possit eam parere comparatione illius, cui nascitur gratam futuram. Ad hæc lex nulla, nec civilis nec canonica impediatur revocationem talis donationis. Ita Castrop. Verum videtur hæc ratio satis dilui per rationem allatam pro opposita sententia: cum intentio donantis feratur non in rem creatam, sed in Deum exemplo voventis elemosynam. Quod votum statim ante acceptationem hominis obligat. Ubi tamen ad verfarium negabunt paritatem, nimirum quod donatio immediate & principaliter fiat in gratiam hominis.

3. Limitatur secundò, ut non procedat in promissione & donatione facta civitati in reparationem ædificiorum, incendio, terræ motu, ruinâ destrutorum. Vel in opus à republica inchoatum promovendum in gratitudinem ob honorem à republica acceptum vel accipiendum, esto à republica necdum acceptata. *l. propter incend. l. casum. & toto fere tit. de pollicitatione.* & ita tenent Gl. *in c. scimus. 12. q. 21. v. pollicitationem.* Ant. Gomez. *Tom. 2. c. 4. n. 2. § 3.* Covar. *in c. quamvis pactum. de pactis. p. 2. §. 4. n. 15.* Molin. *l. c. d. 263.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 1. n. 2.* Reiffenst. *h. t. n. 13.* qui etiam hinc deducit argumentum ad ecclesias & causas pias; nimirum quod indignum videatur, ecclesias & causas pias in eodem genere minore privilegio & favore juris uti, quam causas profanas civitatis & reip. Veruntamen Castrop. *l. c. n. 3.* & citatus ab eo Less. *l. 2. c. 18. du. 6. n. 40.* in tantum tenent contrarium, in quantum asserunt, ex citatis pro hac limitatione legibus non colligi promissionem & donationem civitati factam esse validam & firmam, aut obligare promittentem vel donantem ad sui executionem ante acceptationem reipublicæ; sed solum ex eis colligi, non posse, neque expressè, neque tacitè revocari donationem, quæ revocatione impedita, & postmodum superveniente acceptatione civitatis, actio adversus donantem habetur ad rem promissam vel donatam tradendam, dum ante acceptationem solum datur actio contra pollicitatorem. Idem est de donatore, ne pollicitationem expressè vel tacitè revocet.

4. Limitatur tertio à Covar. *l. c. n. 11. § 16.* Gabr. *Tom. 3. commun. tit. de verbor. obl. concl. 1. n. 69.* Gutt. *de juram. 1. part. c. 8. in fin. § c. 36. n. 4.* Laym. *l. c. n. 3.* & aliis relatis à Sanch. *de matr. l. 7. c. 3. n. 23.* ut non procedat, dum juramentum adjectum promissioni vel donationi; eò quod hoc juramentum servari possit sine dispendio salutis æternæ, adeoque servandum. Verum hic quoque contrarium rectius tenere videtur Castrop. *l. c. n. 6.* (ubi etiam expressè de causa pia) cum Molin. *de primog. c. 2. n. 65.* Gutt. mutante sententiam *in c. quamvis pactum. in secund. edit. n. 55.* Sanch. *l. c. n. 24.* & plurimis aliis apud illos. Ex ea ratione, quod juramentum sequatur naturam primordiale actus, cui adhæret. *l. fin. c. de non numer. pecun. l. fin. ff. de his, qui satisdant. cog.* Actus autem promissionis & donationis imbibat in se conditionem; si promissarius vel donatarius acceptaverit: adeoque eandem imbibat quoque juramentum; & sic eo non obstante, possit donatio revocari ante acceptationem. Uti etiam non obstant clausula constituti aut reservatio fructuum in donatione apposta; cum tales clausulæ nihil operentur, nisi à

parte, in cuius favorem appositæ acceptentur. arg. *l. quod meo. §. si furiosi de acquir. possess.* Gutt. *l. c.* Molin. *de primog. l. c. n. 63.* Castrop. *n. 7.* citatis aliis.

Limitatur quarto à Molin. *de primogen. l. c. n. 75.* Sanch. *l. 1. de matr. d. 6. n. 15.* Paris. *l. 1. conf. 77. n. 33.* & aliis apud Castrop. *n. 8.* ut non procedat in donatione facta infanti; eò quod, cum is sit incapax acceptationis, donatio à lege videatur acceptata pro illo. arg. *l. jubemus c. de emancipat. liberor.* ubi emancipatio infantis absque ejus consensu valet, etsi aliis regulariter acceptatio emancipati requiratur. Verum hic iterum contradicit Castrop. eò quod cum citata lex seu solum loquatur in speciali casu, non sit ejus decisio, cum sit juris communis correctiva, ad alios casus extendenda. Sitque in emancipatione specialis ratio; utpote quæ inducitur à republica, ab eadem etiam absque consensu emancipati concedi possit. Et sic quoque apud eundem Covar. *1. var. c. 14. n. 13.* Rebell. *de obl. just. l. 18. q. 3. in fine.* dum in hoc casu, ut promissio & donatio irrevocabilis censetur, requirunt acceptationem ab his, qui de jure acceptare possunt, intellige nomine infantis, quales sunt tutores illius.

5. Porro quod spectat modum acceptandi donationem absenti factam, tenetur donatarius, cui nuncius ad hoc specialiter destinatus donationem vel etiam donatum detulit, coram illo ipso nuncio præstare acceptationem, ita ut non sufficiat, si eam præstet coram aliis; cum hæc acceptatio sit quasi responsum quoddam offerenti datum, quod offerenti, & non aliis dandum. Less. *l. c. n. 43.* Sanch. *l. c. d. 7. n. 35.* Laym. *l. c. c. 1. n. 5.* Castrop. *cit. p. 4. n. 4.* Si verò donatio donatario infinuetur per literas, debet is donanti literas suæ acceptationis mittere; cum aliter non censetur illi respondere, & voluntatem suam cum eo conjungere. Sanch. Laym. *ll. cit.* Castrop. *n. 5.* etsi Less. sentiat sufficere tunc in gratuitis donationibus acceptare coram aliis.

Quest. 558. An & qualiter de substantia donationis sit traditio donati.

REsp. Actualis datio seu traditio rei donatæ non est de essentia donationis. Muller. *ad Stru. h. t. th. 5. lit. n.* donatione enim simplice seu nuda promissione facta, à donatario acceptata, etiam ante rem traditam ei acquiritur jus & actio, vi cuius cogi potest donator ad rem donatam tradendam, etsi ante traditionem veram vel factam rei donatæ ejus dominium donatario non acquiritur, non secus, ac in venditione mutuo consensu contracta jus & actio, hinc mercedis tradendæ, illinc pretii solvendi nascitur, licet dominium rei venditæ non prius acquiritur emptori, quam traditio illius facta; cum traditionibus, non nudis pactis transferantur rerum dominia. juxta *l. 10. c. de pactis.* ita Pirh. *h. t. n. 2.* cum Azor *p. 3. l. 11. tr. de donat. c. 5. q. 6.* Claro, *§. donatio. n. 1. § 6.* & communi.

Quest. 559. An donatio exigat insinuationem.

REsp. primò: insinuatio (quæ juxta communem nihil aliud est, quam deductio donatoris, quæ is coram Judice seu in judicio declarat voluntatem suam donandi, & simul petit eam in acta ferri, & desuper scripturam confici. *l. donatio. in fine. l. in donationibus c. h. t. Clerus §. donatio. q. 15. n. 4.* Azor. *l. c. c. 6. q. 1.* Pirh. *h. t. n. 5.*) requiritur (non absoluto jure gentium, sed ex dispositione

dispositione Juris civilis. Lauterb. *h. t.* §. 9.) hodie dum non nisi in donatione excedente 500. solidos, dum primitus requirebatur etiam in donatione excedente 280. & postmodum excedente 300. solidos. *L. sancimus. & l. penult. ff. h. t.* ita ut omnia hac solennitate talis summa excedens 500. solidos, (spectata tamen etiam in hoc cuiusque loci consuetudine, dum alicubi major summa in aliis minor permittitur, ut videre est apud Lauterb. §. 10.) sit ipso jure nulla. Befold. *p. 4. conf. 179. n. 47.* Mantic. *de ambig. conv. l. 13. tit. 34. n. 1.* Lauterb. *l. c.* Pirh. *l. c.* non quidem in totum, sed quod ad summam, quæ excedit 500. solidos. *L. penult. & l. sancimus. c. h. t.* Pirh. *l. c.* Carpz. *7. F. p. 2. c. 12. def. 17.* Fachin. *l. 3. contr. 72.* Lauterb. §. 15. eò quòd in iis, quæ dividi possunt, utile per inutile non vitiatur juxta reg. 37. Jur. in 6. Sed & dum plures donationes simul fiunt eidem personæ, quæ singulæ non excedunt dictam quantitatem, etsi simul sumptæ eam excedant, valent, si fiant diversis temporibus sine insinuatione, secus, si eodem tempore, etiamsi in instrumento insertum, tot esse donationes, quot res. *L. 34. c. h. t.* Lauterb. *l. c.* Quin & licet eodem tempore factæ pluribus donataris; quia quòd ad quantitatem illam persona donatoris respicitur, ne ea depauperetur. de Lugo. *de 7. & 7. d. 33. n. 153.* Molin. *de 7. & 7. tr. 2. d. 278. n. 21.* Clar. *l. c. g. 17. n. 14.* Trentac. *l. 3. tit. de donat. resol. 4. n. 5.* Sichard. *ad l. 1. c. h. t. & alii*, quos citat & sequitur Lauterb. Ratio autem sic statuendi est; quia interest reipublicæ, ne cives cum ejus detrimento per istiusmodi effusas donationes ad egestatem redigantur, habeantque donatores spatium deliberandi & occurrendi fraudibus in istiusmodi magnis donationibus intervenire solitis. *L. 27. c. h. t.* Lauterb. Pirh. *ll. cit.*

2. Porro comprehenditur hic qualibet debiti certi & juris presentis remissio, ita ut & ea egeat insinuatione, si debitum & jus excedat 500. solidos; quia talis remissio rationem & vim veræ donationis habet. *L. in adibus. L. Modestinus. L. quidam. ff. h. t. l. contra juris. ff. de pactis. L. simulier. ff. de condit. ob. caus. & ita docent Tiraq. *de retr. act. §. 24. gl. 1. n. penult.* Clar. §. *donatio. q. 16. n. 3.* Mol. *d. 278. §. utrum autem.* Covar. *l. 2. var. resol. c. 4. n. 8.* Castrop. *tr. 32. d. 2. p. 23. §. 2. n. 2.* qui etiam *n. 3.* id ipsum extendit ad plures remissiones eodem tempore factas, quæ non nisi simul sumptæ excedunt 500. solidos; eò quòd æquivalent pluribus donationibus. Contrarium sentientibus apud eundem Bart. in *L. Modestinus. ff. h. t. n. 1.* Bald. in *c. illud. c. de SS. Eccles. Sylv. V. donatio. 1. q. 7.* Rebell. *de obl. just. p. 2. l. 18. q. 6. n. 8.* Non esse tamen opus insinuatione in cessione juris futuri excedentis 500. solidos; eò quòd juris quærendi cessione non sit donatio; cum hæc sit juris habitus in alium translatio, non quærendi repudiatio; cum communi tenent Molin. *l. c. d. 279.* circa finem. Less. *l. 2. c. 18. n. 101.* Castrop. *l. c. n. 4.* inde inferens, posse legatum & hereditatem sine insinuatione repudiari. Quod ipsum tenet de Lugo. *l. c. d. 23. n. 160.* cum aliqua tamen limitatione. Similiter remissionem pretii, vendendo rem minus justo pretio, dum remissum pretium excedit 500. solidos, non egeat insinuatione; eò quòd sit accessoria venditioni ejusque naturam sequatur. tenent Tiraq. in *L. si unquam. c. de donat. revoc. V. donatone largitus n. 4.* Sanch. *de mat. l. 6. R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.**

d. 1. n. 11. Covar. *l. 2. var. c. 4. n. 8.* Castrop. *l. c. n. 5.* contra Fachin. *L. 2. c. 19. g. ult. & alios.*

2. De cætero facta donatione ultra summam lege præscriptam citra insinuationem, posse donatarium tutâ conscientia etiam excessum illum retinere, donec à donante vel ejus hærede repetatur, vel Judicis sententia rescindatur donatio quò ad excessum, tradunt de Lugo. *l. c. d. 33. n. 156.* Molin. *l. c. n. ult.* (qui etiam testatur, hanc sententiam hodie usu moribusque receptam, quiddam sit de rigore juris) Less. *l. 2. c. 18. n. 99.* Castrop. *tr. 32. d. 2. p. 28. §. 4. n. 2.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 12. n. 15.* Pirh. *h. t. n. 7.* ex ea ratione, quòd talis donatio non censetur simpliciter irritata à lege civili; sed sub conditione, si donator illam revocaverit; adeoque valida sit in foro conscientia, & dominium translatum in donatarium, etsi revocabiliter; ac proinde retinere possit illum excessum, dum non repetitur. Idque quia retinet non tanquam proprium, sed tanquam alienum domino seu donatore non invito, ut Castrop. *l. c.* qui tamen ait secus esse, si constaret donatario eum invitum esse, non tamen repeteret, quia non auderet, vel ignoraret sibi competere facultatem repetendi; quia jam nullus adesset titulus illam retentionem cohonestans.

4. Observandum autem hic nomine solidorum subrogatorum veteribus solidis hodie dum juxta communiorem venire aureos Ungaricos seu ducatos. Carpz. *p. 2. c. 12. def. 12.* Pirh. *h. t. n. 5.* Lauterb. §. 10. Nomine autem Judicis, coram quo facienda insinuatio, venit quicumque Judex, etiam incompetens, coram quo nimirum nec donator nec donatarius ratione domicili aut rei sitæ forum sortitur. *L. 27. & 30. c. h. t. Gail. L. 2. obs. 39. n. 28.* Carpz. *l. c. def. 18.* Berlich. *p. 3. concl. 4. n. 31.* & alii, quos citat & sequitur Lauterb. §. 11. ex ea ratione, quòd insinuatio hæc non sit contentiosa, sed voluntaria jurisdictionis; eam non requiratur causæ cognitio. Quamvis quandoque speciali statuto aut consuetudine inductum, ut hæc insinuatio fiat coram Judice competente, uti in foro Saxonico observari testantur Carpz. *l. c. def. 19.* Lauterb. §. 11. ut insinuatio donationis rerum immobilium fiat coram Judice; sub cujus jurisdictione bona illa sita. Contrarium tamen, nimirum debere eam fieri jure communi spectato, coram Judice supremo illius loci, nec fieri posse coram Judicibus inferioribus; ait Castrop. *l. c. p. 23. §. 1. n. 6.* Sed videtur loqui de jure communi regio Castellæ. Quin & plures AA. tutius existimant, fieri tales insinuationes coram ordinario & competente Judice ad præcavendas controversias; easque subortas facilius determinandas. Possent autem eam fieri coram solo Judice absentibus Scabinis & Assessõribus, affirmant Schneidevv. *ad §. 3. Inst. h. t.* Berlich. *l. c. n. 12. & c.* solum ejus presentiam non sufficere, sed presentiam quoque Actuarii necessariam esse, ut de voluntate Judicis appareat, quòd donationem in acta referri, & sic eam insinuari voluerit, ait Carpz. *cit. c. 12. def. 16. n. 9. & l. §. resp. 58.* apud Lauterb. §. 12. ubi etiam, quòd alicubi insinuatio hæc fieri possit coram Schulteto & Scabinis paganis. Illud certum dicit Castrop. non sufficere fieri coram Tabellione & testibus. Ac denique posse eam fieri per intermedianam personam, puta, procuratorem, vel etiam per epistolam absque eo, quòd donantis & donatorii presentia requiratur, verius censet Lauterb. §. 13. arg. *L. 1. §. 2. c. de procur. & reg. 68. de reg. Jur. in 7.*

5. Resp. secundo: Ab illa insinuationis necessitate

tate excipiuntur, & absque ea valent varia donationes excedentes 500. solidos. Primò donationes, quæ privato fiunt à Principe vel Principi à privato. *L. 34. pr. h. t. L. 19. in fin. c. de SS. eccl. amb. item privato. c. h. t. de Lugo d. 32. n. 158. Castrop. l. c. §. 5. n. 4. Lauterb. §. 16. ubi etiam, quòd etli loquantur de Principe Imperatore, communiter tamen idipsum extendatur ad alios quoque Principes Imperii & status. Secundo, donationes rerum mobilium, quas Magistri seu duces militum faciunt militibus, tam de sua substantia, quàm ex spoliis hostium, sive in ipsa belli occupatione, sive in quibuscunque aliis locis degentibus. *L. 36. §. 1. c. h. t. de Lugo. l. c. Castrop. l. c. n. 5. Lauterb. l. c. Tertio donationes factæ alicui ad reparationem domus ruinâ vel incendio consumptæ. *cir. l. 36. §. 2. de Lugo Lauterb. ll. cir. Pirh. h. t. n. 6. Quarto pro redemptione captivorum, *cit. L. 36. idem. Quinto quæcunque donationes inter vivos in quacunque quantitate sine insinuatione factæ Ecclesiæ, monasterio aliive loco pio, aut cuiuscunque causæ piæ valent tam in foro conscientiarum quàm externo. *Molin. l. c. d. 279. de Lugo. de 7. §. 7. d. 23. n. 155. Haunold. de 7. §. 7. Tom. 3. tr. 9. c. 2. n. 155. Faber. in Cod. l. 8. tit. 34. def. 12. Tiraq. privil. 124. Clar. l. c. q. 17. n. 1. Pirh. h. t. n. 6. cum communi Theologorum, Canonistarum, Jurisconsultorum Catholicorum contra Zoëf. ad ff. h. t. n. 48. Lauterb. §. 16. Bachov. Bocer. Carpz. probatque hoc ipsum bene de Lugo ex eo, quòd, si insinuatione accessoria non sit in donatione facta ad redemptionem captivorum, reparationem domus dirutæ, facta Principi, facta à Magistro militum &c. ut dictum; multò minùs eam requirat donatio facta ad causas piæ, utpote magis favorabiles. Neque his obstant. *L. 19. c. de SS. eccl. l. 35. §. fin. c. h. t. quia à Jure Canonico non approbantur. Neque principes sæculares, ut bene Pirh. l. c. possunt quicquam statuere in præjudicium bonorum operum & salutis animarum, consiliorum Christi dicentis: Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, de Lugo. Pirh. ll. cir. præsertim, cum ratio quoque legum prohibentium donationes in magna quantitate hic cesset; dum temerarium non est aut prodigalitas spoliare se rebus suis ex piæ causa; sed prudens, honestum & pium; ut Clarus *cit. q. 17. de Lugo l. c. Sexto valet etiam quòd ad excessum donatio excedens 500. solidos sine ulla insinuatione facta, si confirmata fuit juramento de ea non revocanda. de Lugo. d. 23. n. 155. Clar. §. donatio q. 18. Molin. d. 278. §. dubium autem. Less. l. 2. c. 18. du. 13. n. 99. Fachin. l. 3. controv. c. 83. Sa V. donatio. n. 1. Gutt. de juram. p. 1. c. 7. n. 2. Laym. l. 3. tr. 4. c. 12. q. 4. Rebell. de obl. just. p. 2. l. 18. q. 8. n. 5. & alii plures, quos pro hac communiore, ut ait, sententia citat Castrop. l. c. §. 3. n. 2. ex ea ratione, quòd juramentum non vergens in interitum salutis æternæ sit servandum; donare autem ultra summam à lege permissam non vergat in dictum interitum; cum nihil contineat bonis moribus naturalibus contrarium; alioquin nullo casu donatio supra legem præscriptam subsisteret. Neque enim dicta insinuatō à lege requiritur principaliter & directè ob utilitatem publicam, sed solum in consequentiam & secundariò; principaliter autem ob favorem donantium, ne domesticis fraudibus, præsertim conjunctarum personarum, prodigaliter donando depauperentur. *L. 27. h. t. Pirh. l. c. Nihilominus oppositam sententiam probabiliorē censet. Castrop. l. c. n. 3. citatis pro ea Bald. in l. 95. c. de SS. Eccles. Cuman.********

*in l. Modestinus ff. h. t. Salicet. in l. si quis pro redemptione. c. h. t. n. 5. Duen. reg. 224. l. 1. m. 5. & pluribus aliis. Idque ex contrario fundamento; nimirum quòd juramentum non sit vinculum iniquitatis, quale foret in præsentē casu; cum donare ultra summam à lege præscriptam sine insinuatione sit actus inutilis, irritus & legi adversus; adeoque juramentum de perseverando in tali actu vano & inutili sit juramentum rei iniquæ. His non obstante legem irritantem actum non prohibere directè illius executionem; cum jure ipso naturali nascatur ex tali lege irritante prohibitio; siquidem jus naturale dicitur, ne fiat actus vanus & inutilis, Verùm huic rationi id unicum obstare videtur, quòd apposito juramento purgetur vitium nullitatis, illudque habeat vim insinuationis. Quod num satis diluat Castrop. vide apud illum *cit. n. 5. in fine. Septimò donatio remuneratoria obsequiorum vel beneficiorum excedens 500. solidos non eget insinuatione. Gail. l. 2. obs. 39. n. 24. Myning. cent. 4. obs. 74. Lauterb. §. 7. & AA. mox citandi. Nisi, ut Pirh. n. 6. cum Claro. l. c. q. 3. n. 3. §. 4. Zoëf. h. t. n. 43. Azor. p. 3. l. 9. de donat. c. 6. q. 4. & communi. Excedat multum merita; alioquin non erit donatio remuneratoria, sed merè liberalis; adeoque insinuatione egens. Cum tamen probatio meritorum & æqualitatis sit necessaria & sæpe difficilis, talem etiam donationem rectius insinuari, ait Lauterb. l. c. cum Carpz. p. 2. decis. 124. & Bocer. de donat. c. 12. Idem est de donatione reciproca, ut expressè Castrop. l. c. n. 7. utpote induente potius naturam permutationis quàm donationis, Item de donatione dotis vel ad nuptias, ut de Lugo d. 23. n. 161. cum communi. Et universim loquendo de omni donatione, quæ sit ob causam, v. g. ad malitiam, ad studia ex ea ratione omnibus his communi; nimirum, quia, ut dicitur. *L. hoc jure. §. sed & ha. quæ ob causam fiunt, non habent donationem, seu non propriæ & perfectæ donationes, quæ fiunt solum ob liberalitatem & munificentiam; ac proinde lex requirens insinuationem tanquam odiosa, utpote restringens liberam facultatem donandi, non sit extendenda ultra donationes propriè dictas, ut contra Fachin. l. 3. controv. c. 28. cum communi docent Gabr. commun. l. 3. tit. de donat. concl. Ant. Gomez l. 2. var. c. 4. n. 10. Clar. l. c. q. 16. n. 2. Molin. de primog. l. 2. c. 8. n. 15. §. seq. Molin. de 7. §. 7. tr. 2. d. 279. vers. donatio. Item Rebell. l. c. q. 6. Laym. l. c. Barbof. de potest. Episc. p. 2. alleg. 20. n. 18. & alii apud Castrop. l. c. iis inharrentem. Qui tamen n. 8. cum Molin. l. c. excipit donationem à filio factam patri tempore emancipationis; eò quòd hæc etsi videatur facta ob beneficium emancipationis, attendè tamen spectata non sit remuneratoria; cum hoc beneficium non relinquatur filio remunerandum, sed ipsa lege remuneratum sit medietate ususfructus bonorum adventitiorum filii; adeoque jam talis donatio eget insinuatione.***

6. Resp. tertio: De cætero huic insinuationi per legem præscriptæ à donatore renunciari nequit. *Molin. cit. d. 278. Gutt. de juram. 1. p. c. 7. Castrop. l. c. §. 3. n. 1. Sic doceri inquit ex omnium sententia. Pirh. h. t. n. 7. Lauterb. in ff. h. t. §. 19. & alii passim. Non tam ex ea ratione, ut vult Lauterb. quòd insinuatō illa requiratur, non tam propter privatum, quàm publicum interesse, quàm ex sequentibus, quas rectè adducunt Castrop. & Pirh. quòd nimirum licet lex illa insinuationis*

inducta sit principaliter in favorem donantis, det tamen formam actui, qui absque illa validus non est. *l. illud, c. de SS. eccles. l. sanctimus, e. b. t.* legibus autem inducentibus formam nostris actibus renunciari à privato non potest. Uti quis facere nequit, ut istiusmodi leges in suo testamento locum non habeant. *l. nemo potest, ff. de legat.* Sed neque in legibus prohibentibus est locus renunciacioni, *yubr. de fidejussorib. dotis. & ibi Gl. ordinar.* Ad hæc, si huic legi renunciari posset, corrueret profusus finis illius; cum eadem facilitate quâ quis inducitur ad donandum, induci posset ad renunciandum insinuationi. *Arg. l. simulier. c. ad Velleganum.*

Quæst. 560. Quotuplex sit donatio, & quinam donare possint aut prohibeantur.

1. **R**esp. Donatio latius accepta, prout nimirum comprehendit minus proprie dictas donationes, dividitur primò in verbalem & realem. Verbalis est nuda promissio seu conventio de dando; quâ quidem res per verba de præsentis alteri actu donatur, sed non traditur actu; quia fortè is, cui donatur, absens est, vel adhuc donanti necessaria est; unde est donatio imperfecta, improprie talis, & parum, ut *Castrop. l. c. p. 1. n. 7.* à promissione differens. Realis, quæ ipsa actuali datione perfecta est.

2. Secundò dividitur in eam, quæ simplex & absoluta est, absque omni conditione, temporis determinatione, modo & causa, purè ex liberalitate. Et hæc, si realis est, propriissimè est donatio. Et in illam, quæ fit sub conditione. V. g. dono tibi hunc equum, si salvus ex bello rediero; obligatque non nisi conditione impleta. Vel quæ fit sub certo modo; dum donatur quid in eum finem, ut rursus aliquid fiat. V. g. dono 100. florenos, ut impendas in pias causas; & hæc statim obligat, si fit realis, licèt modo non impleto revocari & donatum repeti possit. Vel quæ fit in certum diem aut tempus futurum. Quæ etsi acceptata revocari nequeat, res tamen non fit donatarii, nisi secuta traditione. Vel denique quæ fit ob causam, v. g. dotis, renunciacionis, mortis &c.

3. Tertiò dividitur in gratuitam, quæ ex mera liberalitate absque ulla obligatione Justitiæ aut gratitudinis procedit. Et in remuneratoriam, quæ fit titulo gratitudinis ob præcedentia merita debita. Quæ, ut subsistat, requiruntur sequentia. Primò ex parte donatarii, ut præexistant ejus merita, seu obsequia & beneficia digna remuneratione; cum remuneratio supponat, quod renunciandum est, dignum esse remuneratione. *arg. c. relatum de testam. Tiraq. ad l. si unquam, c. de revocat. donat. n. 79. & 80. Sanch. de mat. l. 6. d. 6. n. 6. Castrop. tr. 34. d. 11. p. 22. n. 2.* Et quidem debent esse merita singularia & habilia ad sustinendam donationem remuneratoriam, ita, ut non sufficiant quælibet merita seu officiosa & obsequialia. *Sanch. l. c. n. 5. Lauterb. b. 2. §. 17. citatis Brunem. ad l. fin. ff. de donat. inter vir. & uxor. Bachov. & alii.* Quod tamen debito modo & cum proportione intelligendum dicit. *de Lugo d. 23. n. 138.* nempe ut ad magnam insignemque remunerationem magna & insignia præcedant merita; ad minorem tamen sufficiant minora. Secundò requiritur, ut donatio æquivalet meritis, ne aliàs ex ea parte, quâ merita excederet, censeri non posset remuneratoria, sed liberalis donatio, & subjaceret insinuationi, si excederet 500. solidos juxta dicta *quæst. preced.*

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

Idque de stricta æquivalentia intelligunt *Surd. l. 2. conf. 164. n. 33. & Justitæ communiter, quos congerit Sanch. l. c. contrarium tamen tenent cum D. Thom. 2. 2. q. 106. a. 6. Aristotel. l. 5. Ethic. & Seneca. l. 2. de benef. c. 18.* eò quòd gratitudo, ex qua oritur remuneratio, postulet semper plus reddi quàm acceptum. Unde etiam, ut bene de Lugo *n. 140.* licèt ille excessus aliquo modo ex liberalitate procedat, adhuc tamen ad rationem donationis proprie talis, quæ est, ut sit merè gratuita, non accedit; cum ponatur ob aliam causam, quam ut liberalitas exerceatur, nempe ad satisfaciendum debito gratitudinis, quò, ut jam dictum, obligatur quis ad plus dandum quàm acceptum. In eo autem, quantus esse possit ille excessus, ut donatio non reflectat à remuneratoria proprie tali, & quo ad illum constituat donationem proprie talem, hoc est, merè gratuitam, profusus non conveniunt AA. ut videre est apud de Lugo *n. 159.* dum alii statuunt, posse donationem in dimidio excedere merita. Alii, ut *Nav. de reud. q. 1. n. 91. Barbof. in l. quæ dotis. ff. solut. matr. n. 6. Cened. Dian. &c. quorum sententiam probabilem judicat Sanch. l. c. n. 9. Verùm rectius sentiunt Sanch. n. 10. Tiraq. l. c. n. 84. & 86. Menoch. de arb. l. 2. cas. 132. n. 7. Mascard. de prob. concl. 186. de Lugo l. c. Castrop. l. c. n. 4. id relinquendum arbitrio prudentum, attentâ personâ donantis, qualitate, nobilitate, divitiis; cum majorem referre soleant remunerationem divites & nobiles, quàm pauperes & plebei. Item personâ donatarii & causâ, ob quam donatur. Tertiò requiritur, ut merita, quæ remunerantur, non fuerint aliàs debita, neque ex justitia, neque ex alia virtute; quia, si debita erant, fundare nequeunt debitum exigens remunerationem; ex ea ratione, quod remuneratio proprie tendat ad solvendum debitum; ubi autem merita præcedentia procedebant ex debito, non fundarunt debitum novum, sed extinxerunt debitum, quod jam erat. Neque enim ex eo, quòd quis solvit debitum, facit proprie debitorem illum, cui solvit debitum; alioquin non tam solveret, quàm crederet de novo & obligaret; adeoque, ut ponatur fundamentum novæ remunerationis, debet poni seu dari aliquid ultra quòd debebatur. Ita de Lugo *n. 137.* Quartò requiritur, ut donans exprimat se donare ob merita, ita ut si non exprimat illa intentio seu voluntas, utpote ex qua dependet donationem esse simplicem vel remuneratoriam, non sit remuneratio, astruit *Castrop. l. c. n. 3. citatis Barbof. ubi ante n. 78. & Sanch. l. c. n. 3. quem tamen hoc requisitum rejicere testatur de Lugo n. 136.* Verùm esto, id requiratur pro foro externo, quippe in quo, ut præsumatur donatio remuneratoria, merita præcedentia probari debent, (quæ probatio cum à jure non determinetur, qualis esse debeat, arbitrio prudentis remittitur) in foro tamen conscientie opus non est dicta expressione, sed sufficit, quòd donatario id constet, ut cum *Molin. Tom. 1. d. 244. §. quando constat. & Nav. insum. c. 17. n. 145. tradit de Lugo l. c.* Porro, num, cui prohibitum facere donationem proprie talem seu purè gratuitam, etiam eo ipso prohibitum sit facere donationem remuneratoriam, non convenit inter AA. ut videre est apud de Lugo *n. 130. qui n. 131. tenet negativam cum Molin. Tom. 2. d. 289. §. tertius. Sanch. l. c. n. 11. Dian. Tom. 1. tr. de relig. paupert. resol. 15. & 16. Sylv. Abb. Menoch. & aliis, probatque illam fusè ex variis textibus Juris.**

Ddd 2

4. Quar.

4. Quartò dividitur donatio principaliter in eam, quæ fit inter vivos, quæ fit sine ulla mentione, cogitatione, suspitione mortis. §. *alia autem. Inst. h. t. & in eam, quæ fit causâ mortis, de qua est specialis tit. 6. ff. lib. 39.* accipiendo hic mortem, non pro civili seu deprecationis, vel libertatis & civitatis amissione; sed pro naturali, seu discessu animæ à corpore. Lauterb. *ad cit. tit. 6. §. 2.* & nomen causæ pro causa impulsiva, quâ donans movetur, ut Idem *n. 3.* est autem illa, quæ fit propter mortis suspitionem, five ejus intuitu, dum quis ita donat, ut, si quid ei humanitus accidisset, habeat is, qui accipit; si autem supervenisset, qui donavit, recipiat; vel etiam si eum pœniteat, aut is, cui donatum, prior decesserit. prout habetur. §. *mortis causâ. Inst. h. t.* Unde patet esse conditionalem; cum semper contineat conditionem; vel suspensivam, vel resolutivam; adeoque nec esse donationem propriè talem; cum non fiat ex mera liberalitate, ut donum irredibile reddat. Muller. *ad stru. cit. tit. 6. th. 2. l. 1. lit. a.* Subdividitur trifariam, seu tres sunt ejus species juxta *l. 2. §. 35. ff. de mort. caus. donat.* quæ tamen communiùs ad duas species revocantur. Prima, dum quis nullo præsentente periculo conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis seu mortis aliquando futuræ absolutè donat in tempus, quo mortuus fuerit. *cit. l. 2.* quæ donatio non expirat, nisi donatarius ante donantem moriatur, vel à donante revocetur. Laym. *l. 3. tr. 4. c. 12. n. 4.* Muller. *l. c. lit. y.* addens, in eo casu cogitationem mortalitatis esse exprimendam; aliàs fore donationem puram de quo tamen idem dicendum videtur, quod paulò ante dictum de donatione remuneratoria, in ea exprimendum esse, quòd fiat ob merita præcedentia. Secunda, quando quis ob certum præsens vel imminens periculum mortis, putà, ex infirma valetudine vel senio, ex periculosa navigatione, peregrinatione suscipienda, bello jucundo, prædonum incurfu, aut hominis potentis & crudelis odio, donat. *cit. l. 2.* Lauterb. *h. t. §. 5.* Pirh. *l. c.* Quod iterum dupliciter fieri potest, nimirum rem sic donando, ut statim fiat accipientis, ita tamen, ut si mors non sequatur, donator rem sic donatam velit ad se reverti, sibi que restitui; & tunc potest donator morte sua non secuta rem vindicare & repetere. *L. 29. ff. de mort. caus. donat.* Vel rem sic donando, ut ea non statim fiat accipientis, sed tunc demum si mors donantis fuit secuta; seu is in eo periculo decesserit. *cit. l. 2.* & tunc, si mors ex eo periculo secuta non fuit, eo cessante, tanquam cessante conditione, sub qua facta donatio, ea expirat ipso jure sine ulla alia revocatione; quia tacitè revocata censetur. Pirh. *l. c.* cum gl. in *L. 3. ff. de mort. caus. donat.* Porro ad hanc donationem causâ mortis perficiendam requiruntur sequentia. Primò, ut fiat causâ seu sub conditione mortis, ut constat ex descriptione illius; in quo differt à donatione morientis nullâ factâ mentione, quæ pro donatione inter vivos habetur. Muller. *l. c.* cum Carpz. *L. 5. resp. 55.* Secundò utriusque tam donantis quam accipientis consensus; in quo differt à legato & ultimis voluntatibus (ad quorum exemplum reducta est hæc donatio ferè per omnia) in quibus sola disponentis voluntas requiritur, qui tamen consensus accipientis etiam ab absente per epistolam, vel procuratorem expressè ad hoc constitutum præstari potest, & per præsentem nutu, vel etiam tacentem. Ita Lauterb. *l. c. §. 6. & 7.* Tertio, ut hæc voluntas donatoris sit solenniter declarata,

idque vel publicè; dum nimirum donans causâ mortis declarat voluntatem coram Principe, vel apud acta cujuscunque Judicis aut municipum, nullis aliis testibus intervenientibus; cum scientia Principis superet omnes alias solennitates, & superfluum testimonium privatum sit, cum publica monumenta sufficiunt, vel privatum; & si fiat privatum, fieri debet coram quinque testibus (intellige, animo & corpore præsentibus uno eodemque tempore, ut audiant & videant donatorem, et si ad hoc specialiter rogati non sint, sed fortuitò ex alia causa adsint; cum hæc donatio sit species quædam ultimæ voluntatis. Lauterb. §. 9. & 10. stabiliens singula legibus & autoritate Juristarum) ita ut, si unus deficiat, donatio hæc sit ipso jure irrita. Lauterb. §. 8. citatis, Malcard. *de prob. vol. 1. concl. 562. n. 39.* Brunem. *ad l. fin. c. de mort. caus. donat.* Berlich. *p. 3. concl. 2. n. 10.* procedereque idiplum astruit. Lauterb. §. 12. in donationibus rusticorum factis causâ mortis; cum *l. fin. c. eod.* simpl. citet in omnibus istis donationibus requirantur quinque testes, nihilque ratione rusticorum speciale quo ad hoc statutum reperitur, non obstante, quòd *l. fin. c. fin. c. de testam.* in eorum testamentis pauciores requirantur; cum privilegio, utpote stricti juris ab uno ad alium casum non sint extendenda, etiam ob rationis identitatem. Sed neque unius testis defectum juramento suppleri posse aiunt iidem. Quamvis, si præter quatuor testes adsit Norarius, hic suppleat defectum quinti, ut Lauterb. *l. c.* Berlich. *n. 18.* Carpz. *7. F. p. 3. const. 1. defm. 32.* non tamen ipse donator inter quinque illos testes computetur, ut probabilis Wesenb. *ad tit. de testam. n. 11.* Manz. *de testam. valid. tit. 5. q. 1. n. 56.* Lauterb. *cit. §. 10.* Nihilominus hæc dicta de quinque testibus suas partiantur exceptiones, dum ad talem donationem factam tempore pestis sufficiunt testes duo. Carpz. *l. c. def. 33.* Berlich. *n. 15. & 16.* Lauterb. §. 13. Item ad pias causas, iidem juxta. *c. 11. de testam.* Item de donatione hac facta à milite constituto in expeditione. Arg. *L. 1. 15. ff. & l. 3. c. de testam. milit.* Berlich. *l. c. n. 17.* Lauterb. *l. c.* Ac denique pater liberis sine omni solennitate mortis causâ donare potest, modo legitime de ejus voluntate constet. Belsold. *vol. 2. conf. 21. n. 24.* Carpz. Berlich. Lauterb. *l. c.* Quinam verò donationes causâ mortis facere & recipere possint, dicitur paulò post, uti & plura alia *ad tit. de testam.* dum hæc donationes, ut dictum, cum ultimis voluntatibus & legatis habeant magnam affinitatem & in plerisque paritatem.

5. Resp. Ad secundum. Regula generalis est: omnes, singulos & solos, qui liberam rerum suarum administrationem habent. *l. 12. h. t.* adeoque se liberè per contractum obligare possunt. Unde à sensu contrario inferunt, illos donare non posse, quibus bonorum suorum administratio est interdicta, vel à natura, ut sunt infantes alique usu rationis carentes. Item furdi & simul muti à natura. Lauterb. *h. t. n. 20.* Arg. *L. 10. c. qui testam. facere poss. vel à lege;* cum ut Muller. *ad stru. h. t. th. 6. lit. a.* Lex magis sit domina rerum nostrarum, quam nosmetipsi, tales sunt prodigi, quibus à Judice interdicta administratio, pupilli, impuberes, minores habentes curatorem (qui tamen, si quid donarint sine consensu curatoris, retineri posse à donatio, usque dum repetatur à curatore, vel ipso minore, tradunt Molin. *de 7. & 7. d. 224. 261. 277.* Less. *L. 2. c. 18. n. 81.* apud de Lugo. *d. 23. n. 143.*) filii familias conjugati quòd ad aliqua sua bona, religiosi; quin & ipsi administratores bonorum alicno-

alienorum privatorum vel communium civitatis, Ecclesie &c. de quibus nunc in specie, quid possint, vel nequeant circa donationes faciendas.

Quæst. 561. An & quales donationes inter vivos vel mortis causa facere possit vel prohibeatur filius familias.

R Esp. Primò: filius familias (intellige, non amplius minor) etsi quò ad alias conventiones legitimam personam habeat. *l. 39. ff. de O. & A. donare non potest ex peculio profectio* (quod complectitur ea, quæ ex re patris vel ejus occasione ad filium pervenerunt) utpote quod totum dependet à voluntate patris, sub cuius potestate est, sola administratione filio relicta, quæ nullam facultatem donandi infert, nisi pater eam filio concesserit, vel specialiter seu expresse *l. 7. §. 1. & 2. ff. h. t. vel etiam tacite*; uti præsumitur pater id ei versanti in peregrinatione vel studiis ad instar aliorum ejusdem conditionis, aut si Senatoriam dignitatem consecutus, permisit. *Lauterb. §. 22. h. t. ch. 6. lit. 7. Muller. ibid. ubi etiam id ita limitat: nisi alia iusta ratio vel causa sublit. v. si mari donet, aut sorori in dotem, vel præceptori in honorarium.* Sed neque donare potest ex peculio adventitio (quod ea continet, quæ extra causam militiæ filio familias, non ex re paterna, sed aliunde, puta, ex rebus maternis, vel jure legati, vel propriâ industriâ obveniunt) regulariter seu ordinariè, utpote cuius filius nudam proprietatem habet, & pater usum fructum & administrationem, sâtem patria potestate per dignitatem filii non soluta; cederet enim talis donatio à filio facta in præjudicium illius usus fructus. *L. 1. c. de bon. matern. Lauterb. l. c. Stru. Muller. l. c. lit. n.* Secus est de peculio adventitio irregulari seu extraordinario (ad quod quænam bona pertineant, vide apud *Lauterb. ad ff. de pecul. utpote in quo pater jus nullum, filius autem jus plenum habet; adeoque, si sit plenæ ætatis de eo liberè disponere potest, & consequenter donare. Novell. 117. c. 1. §. 2. Lauterb. ad ff. h. t. n. 22. de peculio autem castrensi (quod acquiritur filio ratione militiæ) & quasi castrensi (quod filio familias ex quasi militiâ seu ejus occasione acquiritur) liberè & absque consensu patris donare potest, utpote cuius dominium plenum habet, & respectu cuius vicem patris familias obtinet; adeoque talis donatio in nullius vergit præjudicium. *l. 3. c. de cast. peculio. l. 7. §. fin. h. t. Lauterb. l. c. Stru. Muller. l. c. lit. p.**

2. Resp. Secundò: filium familias donare quocumque posse causâ mortis absque consensu patris de bonis castrensis & quasi castrensis, extra controversiam est. *Castrop. tr. 32. d. 2. p. 16. n. 1. cum communi.* Sed & causâ mortis donare potest filius familias pubes, non secus ac inter vivos ex consensu expresso patris de bonis spectantibus ad peculium illius adventitium (intellige etiam regulare) non obstante, quòd de iis bonis facere nequeat testamentum juxta *L. penult. c. qui facere poss. testam. cum in odiosis donatio causâ mortis non sit testamenti accessoria, & argumentum à majore ad minus, quòd ad prohibitionem finium non sit. & ita Arg. l. non is. §. 1. ff. de mort. caus. donat. docent Clarus. l. 4. sent. §. donatio. q. 6. n. 3. & 4. Molin. d. 288. §. quamvis de jure. Castrop. l. c. n. 2. Quin etiam posse filium familias sine consensu patris donare de bonis adventitiis, quorum usus fructus & administratio plenè est apud ipsum, seu de bonis pertinentibus ad peculium ejus adventitium irregu-*

lare, p. obabilius existimat. *Castrop. n. 3. cum Castrensi. & Jason. in l. senium. c. qui testam. fac. poss. & Fachin. l. 5. controu. c. 25. contra Molin. Clar. h. cit. Covar. & alios, quorum sententiam aliàs dicit communem & valde probabilem. idque ex eo fundamento, quòd filio familias puberi non interdicitur adventitiorum alienatio, nisi quatenus patri ex eo creatur præjudicium, quale ei in hoc casu nullum inferitur; & non ob ejus ineptitudinem ad donandum, ut volunt adversarij, ex hoc capite requirentes ad donationem talem consensum patris pro solemnitate; cum filius familias satis aptus & peritus esse possit ad alios contractus celebrandos aliaque peragenda; ne aliàs quoque dicendum foret, consensum patris necessariò quoque requiri in alienatione bonorum castrensiâ vel quasi castrensiâ contra *L. filius familias. ff. h. t. §. ult.* Ad hæc de bonis, quorum jus nullum competit patri, absque hujus consensu cum filius disponere possit inter vivos; cum nulla lege prohibeatur; adeoque etiam donare possit de iis sine illo consensu causâ mortis. his non obstante, quòd filio familias interdictum sit per *L. fin. §. necessitate. c. de bon. qua liber.* Stare in iudicio sine consensu patris. nam & hoc ipsum potest, si nullum patri imminet exinde præjudicium, ut *Bart. in cit. L. E. contra minor. m. habentem curatorem; sine hujus auctoritate donare non posse mortis gratiâ, contra Bald. in L. 1. ff. de tutel. & rationib. Alex. in L. si curatorem. c. de integ. rest. minor. Alciatum. in L. 2. ff. de V. O. num. 1. Fachin. l. 5. controu. c. 61. & alios tenet Castrop. l. c. p. 17. num. 2. cum Molin. de primog. l. 2. c. 9. num. 9. Molin. de 7. & 7. tr. 2. d. 288. circa fin. Gutt. de juram. p. 1. c. 13. num. 7. Covar. ad rubr. de testam. p. 3. n. 12. & alii, ex eo fundamento, quòd *L. filius familias. ff. h. t.* Donatio inter vivos, & donatio mortis gratiâ æquipotentur; minori autem prohibita sit donatio inter vivos sine curatoris interventu, Neque oppositum ex *cit. l. 1. ubi negatur pupillo donatio causa mortis; quia negatur factio testamenti, bene inferatur; nimirum cui conceditur factio testamenti, uti ea conceditur minori puberi sine consensu curatoris, concedatur etiam donatio mortis causâ; sinque hæc duo omnino diversa; adeoque cuius affirmatio affirmationem alterius non inferat.***

Quæst. 562. Quid uxor possit circa donationes faciendas inter vivos.

R Esp. De bonis suis paraphernalibus (id est, quæ uxor præter dotem marito allatam sibi suæque administrationi reservavit) de jure communi sine consensu mariti donare potest inter vivos. *Laym. l. 3. tr. 4. c. 12. n. 6. Stru. h. t. ch. 6. lit. e. Muller. ibidem.* Secus est de dote alisque bonis familiaribus, quorum administratio ad maritum spectat. *Abb. in c. si quis. de furtis. Nav. in man. c. 17. n. 153. Laym. l. c. cum communi. nisi tamen & horum bonorum administratio relicta uxori; quia maritus absens, aut mente captus fuerit. Molin. Tom. 2. d. 274. in fine. Nav. l. c. n. 154. Less. l. 2. c. 12. du. 14. Laym. l. c.* Quin & remanente administratione penes maritum, dum is ob avaritiam vel imprudentiam intermittit, vel etiam aliàs eo invito potest facere donationes moderatas remuneratorias aliasque; quibus subvenit egenis parentibus, fratribus, vel etiam filiis prioris matrimonii; cum quò ad parentes & liberos

id dicitur naturalis ratio, quo ad fratres subit æquitas. Item permissum uxori sine consensu mariti tantas facere elemosynas, quantas ejusdem status & conditionis mulieres pro facultatum facultate & familiarum qualitate facere confueverunt; cum in hoc casu sine ratione ei contradiceret maritus. Et ita tenent Navar. *de restit.* l. 3. c. 1. n. 160. Less. *l. c.* n. 85. Molin. Laym. *ll. cit.* Zoëf. *h. t. n.* 13. & hoc præcipue, ut Laym. Si bona in conjugio acquisita secundum morem regionis, vel pactum dotale sint communia. Nullam quoque fieri marito injuriam, si uxor sumptus, quos in sui ornatum vel honestam recreationem impendere poterat, propriam parsimoniam collectos impendat in largiores elemosynas, etiam marito invito, tradit ex Molin. Less. & aliis Laym. *l. c.* rectè tamen Confessarios monens, caveant in hujusmodi rebus majorem faminis tribuere licentiam, quam par est, sed potius accommodare voluntati maritorum. Sic quoque si liberalitatem alienandi sine consensu mariti alicubi prohibeat specialis consuetudo, hæc attendenda & servanda. Uti moribus Imperii inductum, ut ob defectum administrationis femina sine curatore donationem simplicem facere non possit, testatur Lauterb. *h. t.* §. 21. vel etiam jus speciale, uti Jure Saxonico uxorem sine consensu mariti planè donare non posse, testatur Struv. *l. c.* Quin etiam, si marito donare vellet, egeret illam curatore ad hoc specialiter constituto, asserit Muller. *l. c. lit. g.* Verùm de donatione inter virum & mulierem inferius l. 4. tit. 20. *de donatione inter virum & mulierem.* Qualiter mater donare possit filio, dicitur paulò post.

Quæst. 563. Quid circa donationes possit maritus.

Resp. Maritus tanquam bonorum administrator majorem facultatem habet ex communibus lucris suo arbitratu faciendi non tantam elemosynas, sed & absolutas donationes; quin & sumptus superfluos absque obligatione restituendi, si dos aliqua bona uxoris propria salva permaneant, ut tradit Laym. *cit. n. 6. in fine.* cum Petro Nav. *de restit.* l. 3. c. 1. n. 155. & alii. Nisi tamen ut monent bene hi AA. superflue donationes frequentiores magna que bonorum profusio & dilapidatio in manifestam uxoris cedat injuriam non sine presumptione fraudis. In quo casu maritus ejusve hæredes ad restitutionem uxori faciendam obligantur, vel ipsa per occultam compensationem sibi liberisque suis providere non prohibetur, si scandalum absit, prout docent Nav. *in man. c.* 17. n. 154. Pet. Nav. *l. c. n.* 114. Less. *l. c. n.* 85. Laym. *l. c.* multò magis id dicendum dicens, dum dos uxoris periclitari incipit.

Quæst. 564. An & quas donationes liberis facere possint parentes.

Resp. primò: Pater filio (idem est de filia) donare non potest, quamdiu hic est constitutus sub patria potestate. *l. 11. c. h. t. l. 25. c. de donat. inter vir. & uxor.* Struv. *in ff. h. t. ib. 7. lit. a.* Muller. *ibid.* cum communi. Debet enim inter donantem & donatarium esse distinctio, quæ in hoc casu non esset, sed pater donaret sibi ipsi. Muller. *l. c.* quidquid enim à patre accipit filius, spectat ad filii peculium profectitium, cujus pater dominus est. Etsi autem talis donatio firma non sit, sed revocabilis, non est tamen sine omni utilitate; cum res donata & tradita filio, nec revocata, per emanci-

pationem, uti & per mortem patris confirmetur, statimque post eam irrevocabiliter transeat ad filium donatarium. *l. donationes, quas parent. c. de donat. inter vir. & uxor. l. 2. c. de inoffic. donat.* junctâ Gl. *V. administrulo.* Nav. *in man. c.* 17. n. 145. Molin. *tr. 1. d. 243. & Tom. 2. d. 291.* Clar. *§. donatio. q. 8.* Laym. *l. c. n.* 12. Ac ita quidem confirmatur morte patris talis donatio, ut non solum valeat ex die mortis; sed etiam, ut retrotrahatur ad diem factæ donationis ad hunc effectum, ut filius non solum lucratur omnes fructus, sed etiam ut donatio non veniat in judicium familiarum eriscunde juxta *l. 18. c. famil. erisc.* Carpz. *p. 2. c. 16. def. 9. n. 2.* Muller. *l. c. lit. n.* Adeoque simplex donatio facta liberis in potestate patris constitutis conferenda non est in divisionem hereditatis post mortem patris; quia censetur ab eo ut præcipuum filio relictum. Arg. *l. penult. c. de collationibus.* & ibi Gl. communiter recepta. Covar. *in c. Raynald. de testam. §. 2. n. 13.* Laym. *l. c. n.* 13. nisi ut Idem, pater cum adhuc jus habebat revocandi, voluerit, ut conferatur.

2. Resp. secundò: Liberis emancipatis (quales de consuetudine Germaniæ habentur liberi juncti matrimonio, extra domum patris habitantes. Reiffent. *h. t. n.* 25.) pater validè donat; cum in his cessat ratio peculii profectitii. *L. cum bonis. c. h. t. l. 2. c. de inoff. donat.* Laym. *cit. n. 12. in fine.* qui tamen *n. 13.* cum Molin. *cit. d. 243.* & Fach. in *Tom. 2. controuv. l. 5. c. 81.* tradit, donata filio emancipato conferenda esse in divisionem hereditatis.

3. Resp. tertio; Donat tamen etiam pater validè filio non emancipato ratione studiorum vel opificis addiscendi, aut ad militiam Principisve palatium eundi, ad adipiscendum gradum, officium vel honorem seu dignitatem; quia sic donata spectant ad peculium filii castrense vel quasi castrense, in quo filius liberam habet dispositionem. Vsq. *de testam. c. 7. n. 153.* Clar. *cit. q. 8.* Nav. *l. c. n.* 159. Molin. *d. 239.* Laym. *l. c. n.* 14. Idem est de donatione facta ad nuptias, aut filiarum in dotem, ad ingressum in religionem, ad suscipiendos sacros Ordines, ad primitias, ad convivium doctorale habendum, ad redimendam captivitatem, solvendam multam ob delictum, ad honestam recreationem; eò quòd hæc spectent aliquo modo ad decentem sustentationem & alimenta, & suo modo debentur filio; modò tamen pater filio spontè & liberaliter donet; si enim aliquo modo coactè donet; ut quia ludo aliisque illicitis actionibus contraxit debita, pater in dubio censetur ea dare animo repetendi, aut in portionem hereditariam computandi. Nav. *in man. c.* 17. n. 164. Laym. *l. c. n.* 14. Idem dicens, si filius bona propria habet, nimirum adventitia vel castrensia, ut, si pater ea penes se habeat, nihilque exprimat, censetur ex iis suppeditare ad literarum studia; quia pater filio habenti propria bona nequidem alimenta præstare tenetur. Covar. *l. c. n.* 15. Sylv. *V. donatio. 2. q. 7.* Molin. *Tom. 1. tr. 2. d. 238.* Less. *l. 2. c. 18. du. 12.* Laym. *l. c. n.* 12. & 14. Item facta in remunerationem beneficii à filio collati in patrem ejusque benemeritorum. AA. iidem. Quia ob talem causam data sunt quodammodo debita filio, & merito inter bona illius adventitia numerantur, quæ post mortem patris non conferuntur in divisionem hereditatis. Molin. *l. c. d. 244.* Covar. *in c. cum in officiis. de testam. n. 11.* Laym. *n. 14.* Circa quod tamen notat Muller. *cit. ib. 7. lit. p.* per benemeritum intelligi benemeritum maximè singulare, pro quo

quo quodammodo merces vel compensatio requiritur, ex quo extraneus, si id in aliquem contulisset, jus agendi & retinendi haberet. V. gr. si filius patrem eripuisse ex manibus latronum vel hostium, Unde non incongrue dicit. Hahn. *h. t. n. 4.* filium hoc casu pro extraneo haberi. Ac proinde ad hanc donationem remuneratorem, ut locum habeat, tria requiri; nimirum ut benemerita non sint obsequialia, sed artificialia, ut æquivalent rei donatæ, ut à filio probentur.

Resp. quarto: Mater (idem est de avia & avo materno) tam liberis emancipatis quam non emancipatis seu constitutis sub patria potestate valide potest donare, intellige, de bonis, de quibus aliàs donare potest; quia in ea cessat ratio prohibitionis, quæ est in patre; cum, ut dicitur §. 10. *Infl. de adopt. liberis* in sua potestate non habet & ita tenet. Gomez. *L. 2. resol. 4. in fine.* Molin. *Tom. 2. d. 291.* Lessi. *l. c. n. 90.* Laym. *l. c. n. 12. in fine.*

Quæst. 565. Quid circa donationes faciendas possint tutores, curatores, administratores, procuratores.

Resp. Tutores & curatores, etsi magnam habeant autoritatem & potestatem; hæc tamen eorum potestas pure administratoria facultatem donandi non involvit. *L. 28. §. fin. de pactis.* neque enim est ad perdendum (quale quid est donare, *L. 27. h. t.*) sed ad utilitatem suorum pupillorum & minorum procurandam. Unde de bonis, quæ administrant, donare non possunt; estque hæc ab illis facta donatio ipso jure nulla, *L. 22. §. 46. §. fin. ff. §. L. 16. c. eod. de administ. & peric. tutor.* nisi id specialiter iis concessum. *L. 7. ff. h. t.* Possunt tamen pro facultatibus & dignitate suorum pupillorum seu principalium facere donationes remuneratorias pro meritis & servitiis præstitis suis principalibus. *L. 12. §. 13. ff. de administ. tutor.* uti etiam aliàs, ubi suaderet eorum necessitas aut insignis utilitas. Lauterb. *h. t. §. 21.* citatis iisdem *LL.* & remittens ad Carpz. *t. 5. p. 2. c. 11. def. 48.* late de hoc agentem. Laym. *l. c. n. 8.* citatis Mol. Medin. Sa. Idem est de procuratoribus speciali ad hoc mandato destitutis ex eadem ratione. Arg. *L. 7. ff. h. t.* Item de administratoribus civitatum aliarumque communitarum. Muller. *h. t. c. 1. §. 7. ut. y.* cum ei, cui competit administratio, quando prohibitum est donare, non censeatur prohibita donationes remuneratoriæ, modo sint commensurate meritis & obsequiis; cum talis donatio, utpote compensatio beneficii præcedentis, non sit propriè donatio. Laym. *l. c. n. 9. in fine.*

Quæst. 566. Quid circa donationes possint Prælati & Rectores ecclesiarum.

1. Resp. Episcopi aliique Prælati & Rectores, tam seculares quam regulares ecclesiarum, collegiorum, monasteriorum de bonis & redditibus eorum non possunt facere donationes meræ liberalitatis in magna quantitate. Responso sic restricta est communis & certa, constatque ex *c. 2. h. t.* ubi etiam ratio hujus decisionis insinuat. Tametsi enim generalem & liberam administrationem bonorum & proventuum ecclesiasticorum habeant, ut eos, tum ad augmentum divini cultûs, tum ad suam & capituli seu conventus sustentationem, aut etiam ad pauperes alendos fideliter erogent juxta *c. nulla. caus. 18. q. 2.* non possunt tamen simpliciter libere de iis disponere; cum non sint eorum domini; adeoque libera talis eorum donatio, utpote

rei alienæ, est nulla, à successore eorum aut etiam ab ipsis, quamdiu non sunt ab administratione amoti, revocanda, ut patet ex *c. si quis. de reb. eccles. non alien. junctâ Gl. v. prospexerint & v. alienata. & c. c. 2. & ibi Abb. n. 3. Pirh. h. t. n. 8. in fine.* cum communi. Pro declaratione tamen & limitatione responsonis servient sequentia.

Sermo itaque in *curato cap.* est primò de donationibus ex bonis & redditibus ecclesiarum, seu ad ipsas ecclesias pertinentibus. Nam si ipsi aliqua bona aut redditus separatos à ceteris ecclesiæ vel conventus redditibus, specialiter eorum mensæ & honestæ sustentationi deputatos habeant, posse illos ex iis indistinctè liberas donationes facere, extra controversiam est, notatque Laym. *h. t. n. 8. §. loc. mox citand. ib. 109.* & dicitur de eo *in. seq.* nisi tamen etiam tales donationes immodicæ cederent in damnum ecclesiæ; ut dum ea dilapidatis per illas profusas donationes bonis mensæ suæ, cogeretur de privativè ad se spectantibus redditibus ad eorum decentem sustentationem succurrere.

2. Secundò de donationibus magnis & immodicis. Nam prælatum, etiam regularem de ipsis bonis ecclesiæ suæ, quæ administrat, facere posse donationes modicas & moderatas (quales quamvis dicantur viri prudentis arbitrio, consideratis reddituum ecclesiæ abundantia & penuria, qualitate donantis & donatarii aliisque circumstantiis æstimari debet. Redoanus *tr. de reb. eccles. alien. q. 52. n. 77.* Laym. *in dis. can. de reb. eccl. alien. §. 8. de donat. ib. 114.* Pirh. *h. t. n. 13. §. 14.* qui etiam *n. 15. in fine.* ex Molin. *d. 144. n. 20.* addit, quòd ut Prælatum censeatur mortaliter peccare, faciendo donationes liberales immodicas, esse respiciendum ad redditus beneficiale unius anni, ita ut v. gr. Episcopus, habeat annuè in redditibus decem millia, non censeatur immodicè donare, si donet 500.) etiam merè liberales, cum consensu capituli, vel etiam sine illo, pro ut fert consuetudo. Sumitur ex *c. 3. h. t. & ibi tradit Abb. n. 7. Barbof. num. 2.* Videturque id ipsum esse de consuetudine omnium ferè ecclesiarum, ut Pirh. *n. 14.* Spectareque ad liberam eorum administrationem, quæ etiam, ut idem, continet majorem aliquam quo ad hoc facultatem, quam administratio totorum. Quin & conferre videtur ad ecclesiæ utilitatem, dum per hujusmodi liberalitatis moderatæ demonstrationem non solum vitatur avaritiæ suspicio, sed etiam conservetur bona existimatio & hominum benevolentia. Laym. Pirh. *LL. cit.* Unde etiam posse Prælatum tales donationes modicas facere ex rebus mobilibus ecclesiæ, ubi non est talis consuetudo eas faciendi, Arg. *cit. c. 2. h. t.* cum gl. *ibidem. v. graves.* astruunt Imol. *in c. 3. h. t.* Rodoan. *l. cit. num. 61.* Pirh. *h. t. num. 14.* modo tamen per ejusmodi modicas donationes justo sæpius repetitas graviter non lædatur ecclesiæ, ut cum eadem Gl. Reiffentl. *h. t. n. 36.*

3. Tertio de donationibus, quæ nullo titulo aut causa, sed meræ liberalitatis nituntur: nam potest Episcopus aliisque Prælati, etiam absque consensu Capituli & requisitis aliis solennitatibus, ex redditibus ecclesiæ facere donationes (etiam largas, modo non nimis profusas) non merè liberales, sed ob causam. V. gr. pietatis & misericordiæ, seu titulo elemosynæ; adeoque ex quadam necessitate & obligatione; cum etiam tutor ex tali causâ ex rebus pupilli donare possit. Suar. *Tom. 4. de Reliq. L. 2. c. 26. n. 12. §. 13.* Laym. *l. c. th. 111.* Pirh. *h. t. n. 9. Arg. c. 1. h. t.* Sic quoque potest Episcopus

pus aliisque Prælatus, etiam regularis, donationes remuneratorias, etiam magnas facere in compensationem meritorum collatorum in ecclesiam vel ipsum Prælatum & alia ejus membra, modo sint commensurate meritis (aliis enim, in quantum donatio illa excedit notabiliter, erit illicita & invalida, ut Reiffenst. n. 41. citato claro) cum fiant ex obligatione gratitudinis, & similia antidotalia, ut dicitur. L. 25. §. *consuluit. ff. de petu. hered.* sint veluti genus quoddam permutationis. & ita tenent Abb. in c. 3. h. t. n. 5. & in c. 5. eod. n. 6. Barbof. *ibid.* n. 2. Menoch. *consil.* 191. n. 32. Molin. *tr.* 2. d. 276. n. 2. & d. 292. n. Laym. L. 3. tr. 4. c. 12. n. 9. Pirh. *num.* 10. ubi etiam citato pro hoc Suar. l. c. *num.* 14. quod possint quoque gratis donare, ut præviant & excitent ad beneficiendum; habito tamen semper respectu, tum ad ædificationem proximorum; tum ad utilitatem ecclesie vel monasterii, Atque ita etiam ob remunerationem magnorum beneficiorum præditorum ecclesie, vel hujus intuitu Prælato, posse illos etiam res aliquas immobiles ecclesie, præmissis tamen tractatualiisque juris solemnitatibus, donare aut in feudum concedere, ex c. 5. h. t. defumunt Abb. *ibid.* n. 6. Laym. *ib.* 112. Pirh. n. 11. & 12.

Quæst. 567. *Quid circa donationes faciendas possint religiosi privati seu non Prælati.*

R Esp. primò: Religiosi privati extra monasterium degentes, & beneficium aliquod ejusdemque administrationem liberam de licentia prælati habentes possunt, non fecus ac alii beneficiati sæculares de beneficii redditibus eleemosynas aliasque donationes honestas facere inter vivos, etiam absque speciali consensu superioris ordinis. Molin. *tr.* 2. d. 276. n. 5. Laym. L. 3. tr. 4. c. 12. n. 9. Pirh. h. t. *num.* 16. Reiffenst. n. 47. Degentes tamen extra monasterium, V. g. in prædio aliquo monasterii, habentes administrationem bonorum monasterii sibi commissam tanquam procuratores & æconomi; aut etiam beneficium aliquod monasterio incorporatum, cujus reditus eidem consignare debent, facere quidem possunt eleemosynas aliasque donationes, secundum limites & conditionem administrationis; sed non nisi dependenter à facultate & ordinatione superioris mediati aut immediati sibi concessa expressè aut rationabiliter præsumpta, & quantum ordinis statuta aut consuetudo permittunt. D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8. Rodriq. *Tom.* 2. q. *regular.* q. 57. a. 2. Sanch. L. 7. *mor.* c. 19. n. 92. Molin. Pirh. *LL. cit.* Reiffenst. h. t. n. 48.

2. Resp. secundò: Religiosi degentes intra monasteria sub obedientia superioris, nullamque administrationem bonorum ibidem habentes (fecus est de iis, qui ibidem sunt procuratores & æconomi; de iis enim idem dicendum, quod immediatè ante dictum de degentibus extra, ut videre est apud Pirh. l. c. citantem Sanch. ubi ante) nullas omnino donationes, etsi aliàs justas, facere possunt absque expressè vel tacita superioris licentia; ita, ut toties peccent contra paupertatem, quoties sine ea donant, etiam pauperibus. c. *cum ad monasterium. de statu Monach.* & c. 11. *caus.* 12. q. 1. Molin. l. c. n. ult. Sanch. l. c. n. 95. Laym. Pirh. *LL. cit.*

Quæst. 568. *Quinam præterea donare prohibeantur.*

R Esp. Tales sunt ferè sequentes de Jure civili;

obsides. L. 31. ff. *de jur. fisco.* Rei criminis læsæ Majestatis per L. 5. §. 4. c. *ad Leg. Jul. Majest.* Hæretici convicti. L. 19. & 17. c. *de hæret. & Manich.* Apostata. L. 4. c. *de apostat.* Banniti Arg. L. 17. §. 2. ff. *de panis.* nimirum tales declarati per sententiam. Muller. *ad ff. h. t. th.* 8. *lit. y. in fine.* In specie etiam usurarius manifestus causâ mortis donare nequit, non tantum majorem partem bonorum, sed & minorem; imò & qualibet donatio causâ mortis ei interdicitur. Uti tanquam probabilius tradit. Castrop. l. c. p. 19. n. 2. cum Gl. in c. *quanguam de usur.* in 6. Bald. L. 1. *conf.* 294. Lapo. *alleg.* 125. Franc. *ad rubr. de testam.* L. 6. n. 34. Fachin. L. 5. *controv.* c. 62. Molin. *tr.* 2. d. 137. *post. med.* & d. 288. *in fin.* & aliis. Ex ea ratione, quod *cit. c. quanguam* expressè prohibitum usurariis manifestis, ne absque præmissa satisfactione usurarum possint mandare in ultima voluntate; donare autem causâ mortis censeatur ultima voluntas. Ad hæc talis usurarius nequeat legata relinquere; cum nequeat testamentum conficere. L. 2. ff. *de legat.* donatio autem causâ mortis aliquid legatum censeatur. L. *illud.* ff. *de donat. caus. mort.* Contrarium tamen tenentibus. Castrens. L. 1. *conf.* 168. Imol. in L. *tamis* ff. *de donat. caus. mort.* Covar. *rubr. de testam.* 3. p. n. 13. & aliis.

Quæst. 569. *Quibus donatio fieri possit, vel non possit.*

R Esp. Omnibus illis fieri potest donatio, qui consentire possunt & lege non prohibentur, Quod itaque attinet primùm; cum ad donationis perfectionem requiratur voluntas & consensus seu acceptatio donatarii; quia hunc præstare non possunt furiosi mente capti & similes, iis donatio fieri non potest per L. 40. ff. *de reg. jur.* Lauterb. h. t. §. 23. Donationem verò infanti fieri posse & factam subliterè contra strictam rationem juris, & jusque possessionem ei acquiri, si, quod donatur, sit inter res, ad quas infans affectionem habere potest, ait idem, citans pro hoc. L. 26. c. h. t. Bachov. *ad Treutler.* vol. 2. d. 21. *th.* 3. *lit. a.* Si autem, quod donatur, non sit tale, donationem non perfici per infantem sed ejus nomine per patrem illum, tutorem vel servum acceptantem; eò quòd, si hæ personæ infanti hereditatem acquirere possunt, multò magis ei acquirere possunt donationes. Sed quid vetat pari ratione acquiri mente capto donationem per acceptationem factam ab ejus tutore vel curatore?

2. Quod attinet ad alterum, lege prohibente, certis personis fieri nequit donatio à certis personis. Sic ea fieri non potest à militibus armata militiæ (hoc est, qui sunt in expeditione belli, vel etiam ut Gutt. *de juram.* p. 1. c. 6. n. 10. qui parati sunt ad pugnam, quoties à Rege evocantur) fornicariis seu concubinis eorum per L. 2. c. *de donat. inter vir & mulier.* Addita etiam ratione: ne earum adulationibus & blanditiis spoliarentur, & depauperentur, aut etiam usu earum, qui per tales donationes conciliantur, fiant ad pugandum invalidi, ut Castrop. l. c. p. 20. §. 2. n. 1. quamvis autem donata transeant ad dominium concubinae, eaque illa ante sententiam restituere non teneatur, ut contra Medin. c. *de rest.* q. 20. *ad 6. Argum.* verius tenent, Molin. d. 275. Less. L. 2. c. 14. *du.* 8. n. 51. Castrop. l. c. *num.* 2. eò quòd leges prohibentes tales donationes eas non irritent. Repetere tamen ea donata (non tantum absolutè, ut vult Molin. Sed etiam sub onere turpis actûs cum ea habendi, ut

Castrop.

Castrop. l. c. n. 3. cæterique AA. non tamen data ob exhibitâ sibi à concubina honesta obsequia, ut censent Molin. l. c. Gutt. l. c. n. 11 Castrop. l. c. n. 3.) permissum militibus. Ita tamen, ut repetita adjudicentur, non militi; cùm is turpitudinem in tali alienatione admiserit; sed fisco, ut docet Castrop. l. c. n. 4. Gutt. l. c. n. 4. Rubros Palacios & alii contra Molin. l. c. & Gama, censentes adjudicanda militibus. Idem, quod dictum est de militibus, extenditur ad concubinas Clericorum. L. 19. c. de Episc. & Cler. Muller. ad ff. h. t. th. 8. lit. y. Reiffent. h. t. n. 28. citans Decis. Rota. q. 6. n. 6. coram Seraphin. extenditur quoque illud privilegium donata concubinis repetendi ad Clericos, contra Molin. l. c. censens Vasq. opusc. de rest. c. 7. du. 3. Gutt. l. c. n. 5. Castrop. n. 6. citans plures alios. Sic conjugi à conjugè inter vivos nulliter donatur. L. 3. §. 10. ff. & l. 25. c. de donat. inter vir. & uxor. de quo infra. Item à patre filio non emancipato juxta dicta. Sic in specie, quia præsidibus, Judicibus, consiliariis & similibus prohibitum est intuitu officii donationes recipere per Lunic. c. de contract. Judic. Lauterb. h. t. §. 28. eò quod, ut ait, posito etiam, quod hoc permissum à principe, vix eveniet, ut semper ex integritate & justitia procedant; prohibitum quoque erit illis eo intuitu facere donationes. Et quidem, si ultra stipendia justâ, sive à partibus, sive à Principe eis constituta quid amplius per modum pretii accipiant ob administrationem, receptio est nulla, adeoque & donatio, tenenturque donantibus reddere, ut cum communi Medin. de rest. q. 2. a. 1. §. contingit. Covar. regul. peccatum. p. 2. §. 3. n. 1. & 2. Nav. in man. c. 17. n. 13. Mol. tr. 2. d. 82. per tot. Vasq. l. c. n. 7. du. 6. apud Castrop. tr. 32. d. 2. p. 21. §. 1. n. 2. iis inhaerentem. Qui etiam n. 4. in casu, dum justitia dubia est, & Judex sententiam ferre potest in favorem unius partis sibi magis placitæ, recipere aliquid, ut in favorem unius partis determinatæ se inflectat, censet esse iniquum, non tantum de jure positivo, sed & de jure naturæ, quod posterius negat Less. l. 2. de just. c. 14. du. 6. n. 64. Rationem dat Castrop. quod præterquam hic casus sit ferè impossibilis, Judex sequendo hanc potius partem quam aliam, administret & exercent justitiam, pro qua administranda, quia jam habet taxatum stipendium, ut supponitur, quidquid insuper ratione hujus administrationis ei datur, absque titulo, adeoque injustè recipit. Quinimò quamvis probabilis videatur sententia Menochii. l. 2. de arb. cent. 6. cas. 317. n. 8. quâ cum aliâ se relatis censet, prohibitum non esse Judicibus etiam extra hunc casum æqualis justitiæ actu causam judicaturis recipere esculenta & poculenta intra paucos dies absumenda, dum apta non sunt movere animum Judicis; attamen Castrop. l. c. n. 14. consulendum esse ait, ut Judices alique memorati ministri Justitiæ ab omni penitus munere etiam minimò recipiendo abstineant. Nihilominus secundum Jus Canonicum c. statutum de rescript. in 6. indubitatum est, Judicibus delegatis Sedis Apostolicæ hæc esculenta & poculenta permitti. Et si extra suum domicilium egrediantur ad causas judicandas, posse illos à partibus exigere, quidquid in cibo & potu & equitatu pro se & suis moderatè absumunt. Et si ad suum munus peragendum indigent Assessore seu viri docti consilio, moderatè stipendium designare, pro ut hæc habentur cit. c. statutum, ubi etiam, quòd si ultra receperint, inhabiles reddantur, ideoque obligati sint dantibus restituere, eorum remissione non obstante; qui

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

tamen, si facta restitutione reddiderint, si absit dolus, & delegatio finita fuerit, posse Judices sic sibi data retinere, cum Gl. ibid. Molin. tr. 2. d. 84. circa finem, ait Castrop. l. c. n. 8. qui tamen n. 9. cum Gl. in cit. c. statutum. §. insuper. Abb. in c. cum vi. de vita & honest. Cler. Sylv. V. Index. 1. q. 8. & 9. Molin. l. c. §. utrum verò. habet, quòd Judices delegati ab inferiore, prædictas expensas & sumptus à partibus recipere non debeant; eò quòd ordinarius ipse subditorum causas nullo stipendio à partibus exacto judicare debeat, eandem obligationem habeat, dum medio delegato id facit. Ita etiam, ut, si Assessor egeat, ipse illi ministrare debeat stipendium, ut iidem AA. De cætero, exceptis Sedis Apostolicæ delegatis, Judices aliosque Justitiæ ministros, quibus dona concessa animo alliciendi eos, ut intra limites justitiæ dantibus, quantum fieri potest, faveant, ante sententiam declaratoriam criminis in conscientia valida est donatio translato illorum in eos dominio, non teneantur restituere; eò quòd irritatio actus & translatio irrevocabilis domini inducenda non sit nisi Legibus manifestè expressum, nulla autem lex deluèper reperitur, tanquam probabilis tenet Castrop. l. c. §. 2. n. 2. cum citatis ab eo Molin. tr. 2. d. 88. post med. Vasq. opusc. de rest. c. 7. du. 6. n. 61. Rebell. de obl. just. p. 2. l. 18. q. ult. n. 3. Neque his obstante juramento Judicum de nullo recipiendo ultra stipendium; eò quòd per juramentum tale non inhabilitentur ad dominium donati acquirendum, etsi recipiendo peccent contra juramentum. Quin & præstito juramento de non retinendo donatum, non obligantur ad restitutionem ex justitia, aut defectu domini, sed solum ex virtute Religionis. Molin. l. c. §. illud admonuerim. Castrop. l. c. n. 3. Verùm de his copiosius in antecedentibus.

Quæst. 570. Quænam donari possint aut non possint.

R Esp. primò: donari possunt res omnes existentes in commercio humano, sive corporales, sive incorporeæ. Lauterb. h. t. §. 29. Stru. in ff. h. t. th. 9. Muller. ibidem lit. a. Vide L. 2. 3. 11. 18. c. h. t. quales quia non sunt res sacræ, sanctæ, religiosæ, has jure gentium à donatione eximi, dicit Muller. l. c. eò quòd, quæ juris divini sunt, in bonis privatorum esse non possunt. Possè nihilominus calices consecratos aliæque vasa sacra, item reliquias sacras donari alicui ecclesiæ vel loco pio, servatis servandis in tali donatione, constat. Sic quoque beneficia ecclesiastica ipsæque ecclesiæ, etiam antequam vacent, pleno jure, seu tam quò ad spiritualia quam temporalia alicui loco pio seu religioso donari possunt in proprietatem, nimirum per unionem seu incorporationem factam monasterio aut prælaturæ seu dignitati, pro ut habetur c. in consultationibus. & c. inter dilectos. h. t. Vide Pith. h. t. à n. 17. Secundò donari possunt, non tantum res propriæ, nimirum tempore donationis, sed & alienæ, non secus, ac vendi possunt. Lauterb. Stru. Muller. l. cit. ita, ut iidem, ut, licet non statim rei alienæ dominium per traditionem illius transferatur in accipientem, transferatur tamen conditio usucapiendi & titulus pro donato. Lauterb. l. c. & donator, aliena re donata evicta, regulariter evictionem præstare debeat, nec ad æstimationem recurri possit. L. 18. §. fin. l. 3. & 2. ff. h. t. l. 2. c. de evict. Lauterb.

Ecc

Mul-

Muller. *l. cit.* nisi tamen evictio promissa sit. Lauterb. *l. c.*

2. Resp. ad secundum: donare non potest princeps bona subditorum citra necessitatem publicam; cum eorum non sit dominus, & ea potius sint in illius fide & custodia. Uti idem est de bonis coronæ, nisi adsit consensus populi aut eorum, qui populum representant. Zoëf. *h. t. n. 27.* Muller. *l. c.* donari item nequeunt res pupilli & minoris. Zoëf. *ad tit. de reb. eorum, qui sub tut. sunt. n. 1.* & 2. Muller. *l. c.* quod intelligendum videtur de rebus eorum immobilibus vel mobilibus pretiosis; cum, ut dictum, tutores eorum de mobilibus eorum modicas donationes facere possint. Item hereditas viventis donari nequit. *l. 29. §. fin. h. t.* ubi dicitur, sic festinare esse contra bonos mores & jus gentium. Muller. *l. c.* Lauterb. §. 31. Secus tamen est, ut idem, de hereditate sibi relicta vel delata. *L. 38. ff. h. t.* Item bona avita vel fideicommissaria regulariter nequeunt donari. Lauterb. §. 30. citans Carpz. & alios.

Quæst. 571. An & qualiter bona omnia donari possint, & quæ nomine omnium bonorum veniant.

1. **R**esp. ad primum; attendendo rationem naturalem, jus gentium, quin & textus Juris, seu in puncto juris validè donari inter vivos, tam præsentia quam futura, tanquam verius astruunt Stru. *in ff. h. t. ib. 9. lit. d.* Muller. *ibid.* Lauterb. §. 31. citati- que ab eo Carpz. *p. 2. c. 12. def. 20. n. 4.* (qui tamen in praxi dissentit) Harprech. *ad §. 2. Inst. h. t. n. 115.* & seq. Pinell. *ad rubr. Cod. p. 1. n. 25.* Bachov. & c. citantes pro se. *l. 35. §. 4. c. h. t. l. 8. c. de revoc. donat. l. 5. de inoff. donat.* quamvis, ut videre est apud Lauterb. §. 32. fateantur hi AA. communiter in praxi & multis locis donationem talem solere pronunciarì invalidam; ideoque consulunt, ut donator sibi quædam reservet, de quibus testari possit & dispo- nere. Limitant quoque suam sententiam hac rati- one: modò nemini per illam donationem creetur præjudicium, quatenus per eam lædatur legiti- ma liberorum, & reddatur donatio inefficaci- sa. Econtra etiam inspectis legibus & jure com- muni prohibitam & nullam esse talem donatio- nem, (etiam ipso jure, etsi non desint, qui te- neant eam ipso jure valere, venire tamen infir- mandam, ut Alciat. Bald. Salicet. *ad l. ult. c. de pactis.* apud Castrop. *n. 5.*) tradunt Molin. Tom. 2. *d. 280. n. 1.* de Lugo. *de 7. & 7. d. 23. n. 163.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 12. n. 16.* Castrop. *tr. 32. d. 2. p. 24. §. 1. n. 1.* (qui etiam *n. 2.* addit, donationem hanc ita esse nullam, ut ex nulla parte subsistat firma. Idemque in §. 3. *n. 9.* dicit de donatione omnium bonorum ex causa onerosa) Item Clar. *l. 4. sentent. §. donatio. q. 19. n. 1.* citans quam plures. Fachin. *l. 6. controuv. c. 7.* Trentacinq. *l. 3. de donat. res. l. 3. n. 22.* Ad- ducunt hi AA. pro se *l. stipulatio hoc modo. ff. de V. O. l. ex eo. C. de inutil. stipulat.* & aliàs, quas con- gemit Molin. *l. c.* ac insuper rationem, quòd talis donatio adimat facultatem liberè testandi, quòd Jure civili indecens & reipublicæ noxium cen- setur. *cit. l. stipulatio. & ibi Bart. n. 5.* Unde si tantum reservet sibi donator, ut cesset hæc rati- o, veluti dum donantur solùm omnia bona præsentia, vel donantur omnia quòd ad proprie- tatem, reservato usufructu, (de quo tamen pos- teriore vide *quæst. seq.*) valebit donatio. Laym. *l. c.* quam rationem non satis diluit Lauterb. alii- que ex adversariis dicendo, facultatem testandi

per hoc non adimi directè sed indirectè, quæ indirectè ademptio facultatis non prohibeatur, sed fieri posse probetur exemplo ingressus in monasterium. *Aurb. ingressi. c. de SS. eccl.* nam perinde est, quocunque modo impediatur dicta facultas testandi. Quòd autem quis favore cau- sæ piæ privare se possit facultate testandi, ad alias causas trahi non expedit, ut bene ait Cas- trop. *l. c. n. 5.* Licere autem idipsum, & sub- sistere absolutam donationem omnium bonorum in ordine ad causam piam, v. g. factam ecclesiæ, monasterio, pauperibus ex communi docent. Abb. *in c. in presentia de prob. n. 2.* Covar. *in rubr. de testam. p. 2. n. 13.* Clar. *l. c. q. 20. n. 3.* Less. *l. 2. c. 18. du. 13. n. 95.* Molin. *cit. d. 280.* quos citat & sequitur Laym. *l. c.* item Castrop. *l. c. p. 24. n. 3. n. 10.* Neque Jus civile pietatis officia impedire & re- stringere in hac parte potest; cum etiam Christi consilium sit: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Qua propter talem donationem factam ad causam piam pro confirmatione sui non egerit juramento sequitur. In eo verò, num facta ad alias causas juramento confirmetur, ut revocari nequeat, non conveniunt AA. affirmant Covar. *in rubricam. de testam. p. 2. n. 5.* Fachin. *l. 6. controuv. s. 88.* Molin. *l. c. vers. antequam.* Less. *l. c. n. 96.* Laym. *cit. n. 16.* quorum sententiam in rigore videri ve- riorè affert de Lugo *l. c.* eò quòd juramentum servandum, quoties non vergit in detrimentum vitæ æternæ; in hoc autem dispensandum non vergat, ad- mittere sibi facultatem testandi reservatis sibi alimen- tis ad vitam necessariis. Negant è contra Clar. *cit. q. 20. n. 1.* citans plures. Molin. *de primog. l. 2. c. 10. n. 11.* Gutt. *de juram. c. 11. n. 11.* Duenn. *reg. 219. ampliat. 2.* & plures alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. §. 2. n. 2.* Rationem communius af- ferunt Clarus & plures cum eo, quòd donatio hæc auferat facultatem testandi, & præbeat oc- casionem captandæ mortis (intellige, dum nec- dum secuta traditio) ideoque sit contra bonos mores, & consequenter juramento confirmari nequeat. Verùm ex probatione prioris senten- tiæ hanc rationem videri corruere, ait Castrop. *l. c.* Quapropter is aliam suggerit. Nempe, quòd nullum esse possit juramentum, quòd hanc do- nationem firmet. Non juramentum de donan- dis omnibus bonis, utpote qui est actus prodigali- tatis, saltem venialiter malus, ut de Lugo *l. c.* vanus & inutilis à lege reprobatus, super quem juramentum tale non cadit, sed nec cadere pot- est. Neque juramentum, ut vult de Lugo, de non revocanda tali donatione facta, de se irrita & nulla; cum in ea revocatione nullus resplendeat actus virtutis; quin potius oppositum conveni- entius & utilius sit Reipublicæ, & observantioni Legum conformius. Cujus tamen contrarium astruit de Lugo. *cit. d. 23. n. 163.* dum ait, tale juramentum cadere de facto super illa non revo- catione licitè & validè; cum nullo jure prohibea- tur quis nolle testari, & donationem talem revo- care. Et dum dicitur, juramentum contra bo- nos mores non obligare, & esse prohibitum, id intelligendum de juramento, quòd ex parte ob- jecti, nempe rei promissæ, est contra bonos mo- res, & non de eo, quòd de se formaliter est contra bonos mores; cum possit quis peccare jurando, & tamen juramento obligari, dum res promissa non est prohibita. Cui fundamentum suo innixus, adhæ- ret sententiæ opposita.

Dixi donationem omnium tam præsentium quam

quàm futurorum *inter vivos* invalidam esse; validam siquidem esse talem donationem mortis causâ factam supponunt communiter omnes, & tradunt expressè Clarius §. *donatio. g. 19. n. 7.* Molin. *de f. & f. cit. d. 280. post med.* Molin. *de primogen. l. 2. c. 10. n. 14.* Laym. *l. c. Castrop. l. c. n. 3.* eò quòd cum ea donatio sit revocabilis, non tollat potestatem testandi, nec donantem miserum reddat.

2. Resp. ad secundum: primò in donatione absoluta omnium bonorum, non facta mentione de futuris bonis, ea non comprehenduntur. arg. *l. 7. ff. de aur. & arg. legat.* Donatio enim stricti juris est, ac propterea strictè interpretanda, prout minùs vergit in præjudicium donantis. arg. *L. 22. ff. h. t. ac ita tenet Jas. l. 3. conf. 5. col. 2.* Decius *conf. 225. n. 4.* Clar. *l. c. n. 4.* Brunem. *in l. 35. c. h. t. n. 16.* Stru. *ad ff. h. t. th. 9. lit. e.* Muller. *ibid.* Lauterb. §. 13. Poteritque donator, non obstante tali universali donatione, de quæsitis postea disponere & testari. Valebitque talis donatio, ut Clar. *n. 3.* quod tamen videtur intelligendum de saltem moraliter certò acquiritendis; cum futura merè contingentia ad validitatem talis donationis non posse conferri videantur. Secundò sub tali donatione tamen omnium bonorum, non facta mentione mobilium & immobilium, comprehenduntur omnia præsentia mobilia & immobilia, jura & actiones. Castrop. *l. c. n. 6.* Stru. *l. c. lit. 5. & ibid.* Muller. *Christianæ. l. 1. decis. 153.* & alii apud Lauterb. *l. c. contra Zoël. h. t. n. 29.* Carpz. *f. F. p. 3. c. 2. def. 2. n. 6.* & c. bonis siquidem annumeratur, quod est in actionibus & persecutionibus. *L. 49. ff. de V. S.* Muller. *l. c.* ubi etiam, quòd comprehenduntur nomina sub generali obligatione, juxta *c. 4. c. quares pignor. obl.* Secus tamen est, seu non comprehenduntur jura & actiones, si in donatione fiat mentio bonorum mobilium & immobilium. Clar. *l. c. n. 5.* Castrop. *l. c.* Stru. & Muller. *l. c. lit. n.* eò quòd jura & actiones tertium quoddam genus bonorum constituunt, ut probatur ex *L. à divo Pio. §. in venditione. ff. de re judic.* in hac autem exorbitante & nimis præjudiciali materia verba, ut dictum, in strictissima significatione sunt accipienda. Unde jam etiam valet talis donatio; cum donatori adhuc relinquatur facultas testandi, nimirum de dictis juribus suis. Clar. *Castrop. ll. cit.* Quod tamen intelligendum, si donator jura & actiones habeat; cum, si nihil horum habeat, convincatur omnia bona donasse, & nihil, de quo testari possit, sibi reliquisse, nisi fortè bona sibi certò ex post obventura. Tertio in donatione omnium bonorum non venit as alienum, seu quæ debentur creditoribus; cum bona non intelligantur donata, nisi deducto are alieno, adeoque non nisi quæ eo deducto supersunt. Et si hoc non deducto tradita sint bona omnia, non potest non præsumi, id factum in fraudem creditorum. Stru. *h. t. th. 9. lit. k.* Muller. *ibid.* Ad quætionem verò illam, an donatarius bonorum omnium conveniri possit à creditoribus, sub distinctione respondet apud Muller. *l. c.* Carpz. *p. 2. c. 22. def. 28. & 29.* nimirum, quòd possit conveniri, si donatio sit facta mortis causâ; secus si *inter vivos* juxta *L. 15. c. h. t. & L. 16. ff. ad Trebell.* cum respectu donationis mortis causâ donatarius habeatur pro universali successore & hærede; respectu donationis *inter vivos* pro successore singulari. *cit. l. 15.* Quemadmodum etiam

ratione rerum oppignoratarum conveniri potest talis donatarius, sicut alius quivis possessor earum. Quod etiam procedit, dum hypothesa est generalis. Stru. *l. c. lit. 5.* Muller. *ibidem.* Limitat tamen hoc ipsum, de donatione *inter vivos*, quòd conveniri non possit talis donatarius à creditoribus, Carpz. cum Perez *in Cod. h. t. n. 22.* hoc modo: nisi ea facta cum conditione satisfaciendi creditoribus; vel nisi facta in fraudem creditorum. Quartò in donatione totius hereditatis venire omnia bona præsentia & futura, etiam jura & actiones, probabilius tenent. Bart. *in l. fin. c. de pactis. n. 14.* Clarus *l. c. n. 6.* Molin. *cit. d. 280. §. dubium est.* Gutt. *de juram. p. 1. c. 11. n. 4.* Fachin. *L. 6. controv. c. 94.* Castrop. *l. c. §. 1. n. 8.* contra Alciat. *in cit. l. fin. n. 81.* Purpur. *ibid. n. 245.* Cravet. *conf. 139. n. 6. & c.* apud Castrop. censentes venire in tali donatione sola bona præsentia, Eò quòd nomine hereditatis veniat in universum jus defuncti juxta *L. nihil aliud ff. de V. S.* seu omnia bona, quæ quis tempore mortis relinquit, adeoque licet hereditas Testamento relinqui possit, illius tamen donatio facta *inter vivos* non valet; quia adimit facultatem testandi. Quidquid sit de donatione tali facta mortis causâ; quæ num fieri possit, satis difficile & controversum esse, ait Castrop. cum hæredis institutio, non donatione & contractu, sed testamento & ultima voluntate perficiatur. De quo Fachin. *l. c. n. 95.*

Quæst. 572. An donatio omnium bonorum quò ad proprietatem, reservato tamen eorum usufructu, sit valida.

Resp. In hoc non convenire AA. nam negant hoc ipsam Castrenf. *in cit. l. ult. c. de pactis. n. 20.* Decius *ibidem. n. 32.* Purpur. *n. 152.* Curtius *Jun. n. 58.* Corneus *l. 2. conf. 176.* & plures alii apud Castrop. *l. c. §. 3. n. 1.* eò quòd de usufructu testari quis nequeat, adeoque reservatione illius non reservetur facultas testandi neque utiam de fructibus inde perceptis; quia hi sunt donatarii, utpote comprehensì sub bonis futuris ei concessis donatione omnium bonorum præsentium & futurorum. E contra probabilius affirmant Castrenf. sibi contrarius *in L. stipulatio. hoc modo. ff. de V. O. n. 3.* Jason. *ibid. n. 10.* Alex. *n. 18.* Covar. *l. 3. var. c. 12. n. 1. & 4.* Molin. *cit. d. 280. §. dicendum.* Mol. *de primog. l. 2. c. 10. n. 20.* Gutt. *l. c. n. 14.* Clar. *cit. g. 19. n. 9.* Fachin. *l. c. n. 89.* & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n. 9.* ex ea ratione, quòd reservans sibi usufructum, intendat sibi reservare, quæ sunt propria usufructuarii; usufructuario autem competat fieri dominum fructuum percipiendorum juxta *L. qui sci. ff. de usuris & l. 1. ff. de usufr.* qui proinde transmittuntur ad hæredes; & consequenter de his testari potest. Ad hæc potest donator in hoc casu antecedenter ad donationem, vel dum eam facit, vendere usufructum reservatum, & sic de pretio pro illo accepto testari; ideoque ex tali donatione non redditur intestabilis. Ita Castrop. *l. c.* qui tamen *n. 3.* id ipsum sic limitat: modò tamen usufructus sufficiens sit ad alimentacionem donantis & exercendam facultatem testandi. Si enim esset tam modicus, ut totus absumendus in alimenta illius, neque ex eo superesse quicquam speratur, de quo testari possit, adhuc donatio erit invalida, ut Covar. *l. c. n. 4.* Gutt. *n. 15.* Molin. *Jesuita. l. c. §. quando autem.* Molin. *de primog. n. 25.*

CAPUT II.

De effectu & revocatione donationis.

Quæst. 573. Quis sit effectus donationis.

R Esp. Primo donatio simplex verbalis, necdum aequali traditione rei donatæ confirmata, quamprimum facta & à donatario acceptata producit in donante obligationem rem donatam præstandi, ut constat ex claro textu. §. 1. *Instit. h. t.* quam tamen donatarius propria auctoritate occupare non potest. parit siquidem talis donatio orta que ex ea obligatio in donatario solum actionem contra donatorem ad tradendam rem verbaliter donatam, non tamen ex se sola, sed assistentiâ legis, nimirum. *L. si quis argentum. c. h. t.* ubi ea actio illi conceditur, unde & dicitur conditio ex lege; quia hæc lex nullum aliud certum genus actionis expressit. ita tamen, ut lex illa sit causa illius efficiens remota; unde & est actio civilis; & proxima sit conventio seu pactum legitimum donatorem inter & donatarium, ratione cuius est personalis, sicut & omnes conditiones sunt personales. Lauterb. *b. t. §. 34. juncto §. 35.* Estque hæc actio stricti juris. *L. 22. ff. h. t. & perpetua, & 30. annis præscribitur, transitque post mortem donatarii ad ejus hæredes; cum donatarius simplex præmoriens jus quæsitum ad suos hæredes transmittat adversus donatorem & ejus hæredes.* Lauterb. §. 35. *juncto §. 36. & 37. in fine.* Objectum hujus actionis est res donata præstanda; & quidem deductis seu reservatis alimentis donatori, ut deducto ære alieno, nimirum quod donator ex causa onerosa debet; cum donator, etiam condemnatus, non nisi in quantum facere potest, teneatur. Lauterb. §. 37. *juncto §. 39. juxta L. 41. §. 2. ff. de re jud. & expressum textum. L. 33. ff. h. t. ubi; actione, nimirum hac, non in solidum, sed quantum facere potest, convenitur. & l. 12. ff. eod. ubi; qui ex donatione se obligavit, in quantum facere potest, convenitur; sed enim, quod creditoribus debetur, erit detrahendum. Sed neque hæc actio se extendit ad fructus interea, quod donator est in mora rem donatam tradendi, perceptos. L. 11. ff. h. t. l. 9. §. 1. ff. eod. ubi; ex rebus donatis fructus percepti in rationem donationis non computantur, ex ea etiam ratione; quod ante traditionem donatarius non est dominus rei donatæ; res autem domino suo fructificant. Lauterb. §. 37. qui tamen id limitat hoc modo: nisi nondum consumpti sint. Neque se extendit ad usuras ob dilationem traditionis exigendas. Lauterb. *l. c. juxta l. 22. ff. h. t. ubi; eum, qui donationis causâ pecuniam vel aliud quid promisit, de mora solutionis pecuniæ usuras non debere summæ æquitatis est &c. idque, ne donatori sua liberalitas nimis damnosa sit; & quia donatio est stricti juris conventio. Quod si verò res donata post promissionem seu donationem verbalem illius à donante alienata est, reservatur tamen donatario dicta actio personalis contra donatorem ad æstimationem illius consequendam. Lauterb. §. 41. cum Bachov. ad *vvesenb. b. t. n. 7.* Paritur quoque ex donatione vindicatio rei, si donatario tradita sint rei donatæ ea instrumenta, quæ jus in ea re competens denotant, per *l. 1. c. h. t. Brunem, ibid. Hahn ad Novell. 162. c. 1. v. interdum rei vindicatio. Lauterb. §. 34. Porro***

quod dictum de donatione simplice, etiam locum habet in donatione, quæ fit sub modo, quæ quid donatur, ut rursum quid fiat. v. g. ut præstentur alimenta, donatarius ad id præstandum. v. g. alimenta obligatur, & adigitur actione præscriptis verbis. *l. 9. ff. h. t. vel conditione ex lege. l. 35. §. fin. c. h. t. Lauterb. l. c. & modo illo non impleto donans ejusve hæres res donatas vindicat. L. 2. & 3. c. de condit. ob caus. Re autem sic donata, ut post decem annos alteri restituatur, elapso hoc tempore, huic tertio competit eadem actio personalis contra donatarium ejusve hæredes. l. 3. c. de donat. qua sub modo. Lauterb. l. c. citans Fachin. l. 8. contrav. c. 88.*

2. Resp. Secundò effectus donationis perfectæ, seu per traditionem consummatæ est, ut vi illius dominium rei transeat in donatarium. *l. 1. 25. 33. ff. h. t. & si donator illius non erit dominus, conditio ulucapiendi & titulus pro donato, nisi fortè vitium ex alia causa subfuerit. l. 2. 3. 6. ff. pro donato. Lauterb. §. 29. juncto §. 28. dum interim simplex donatio erat tantum causa vel titulus rem ejusque dominium mediante traditione acquirendi. Unde si res duobus donata, & posteriori simul tradita, hic posterior est in dominio. l. 2. c. de R. V. nullo contra hunc priori donatario competente remedio, non reali; quia per solam conventionem jus in re consecutus non est, non personali; quia cum secundo donatario non contraxit. Sed solum competente ei actione contra donatorem. ita Lauterb. *cit. §. 28.* Non tamen ex ea donatione oritur donatario, etiam omnium bonorum, obligatio solvendi creditoribus donatoris; quia per hoc non evadit hæres, aut constituitur loco illius, sed manet & est successor singularis. *L. 2. c. de par. hered. ac proinde à donatoris existentis non solvendo creditoribus conveniri nequit. L. 15. c. h. t. & l. fin. c. de hered. abt. Lauterb. §. 40. citatis F. br. in cod. l. 8. tit. 34. def. 4. & Mevio. p. 5. decis. 271. à n. 2. qui dicat hanc sententiam verissimam secundum rationem juris; licet alii apud eundem Lauterb. admittant, hodie dum ex æquitate etiam directè adversus donatorum intentari posse actionem, donatore non existente solvendo. ut ea aliàs absolute contra eum intentari potest, & is conveniri in casu hypothecæ jam constitutæ in rebus postea donatis; uti & à creditoribus tantum chirographicis, si in eorum fraudem facta donatio. *L. 6. §. 11. L. 10. 17. ff. quo in fraudem creditor. Carpz. L. 5. resp. 63. n. 13. Mev. l. c. decis. 272. à n. 4. Lauterb. §. 40. intenta tamen prius, ut hic cum Carpz. *7. F. p. 2. c. 12. def. 28.* actione revocatoria. plures similes exceptiones vide apud Lauterb. *l. c.****

Quæst. 574. An & qualiter revocari possit donatio.

R Esp. Donatio inter vivos legitime & absolute facta (intellige, non tantum traditione consummata, sed & perfecta nudo pacto seu consensu, etiam nulla stipulatione interveniente vel traditione secuta, ut expressè de Lugo. *d. 23. num. 167. Pirh. h. t. num. 32.* de utraque enim accipiendæ leges; etsi quidam AA. ut Lauterb. §. 41. meminerint solum donationis traditione consummatæ) regulariter revocari nequit; neque, penitentiâ donatoris juxta expressum textum. *L. fin. c. de revocat.*

vocat. donat. neque per rescriptum Principis juxta clarum quoque textum. *L. 5. c. eod.* cum nemo temerè jure suo quæsito invitus privati possit, ne quidem Supremi Principis autoritate, nisi ob bonum commune seu utilitatem publicam, cui utique privata cedere debet.

2. Dixi primò donatio: *inter vivos*, nam donatio mortis causà à donatore quandocunque revocari potest, *L. mortis caus. il. 4. ff. de donat. caus. mort.* Clarus, §. donatio, q. 25. n. 2. dicens id in jure esse notissimum, idque vel expressè vel tacitè, ut si donator rem, quam donaverat (intellige, necdum secuta traditione) in alium alienet, ex hoc enim cenletur donatio revocata, *L. illud. ff. de donat. caus. mort.* Sic etiam ob convalescentiam donantis revocationem ceteri hanc donationem ait Clar. n. 4. Si facta instantis mortis periculo; secus, si facta hoc periculo non instante. Dixi secundò: *donatio facta absolute*: hoc est, merè liberaliter, & non ob causam, siquidem, si facta ob causam, ipso jure revocatur, causam non securam, & donanti competit rei vindicatio. *L. 1. c. de donat. ob caus. Clarus. l. c. n. 1. cum Curtio Jun. conf. 126. num. 14.* dicente communem. Dixi tertio: *regulariter & temerè*: cum interdum vel pro parte vel in totum revocari possit ob causas legitimas, quales ferè sunt sequentes: donationis inofficiositas, superveniens donatori paupertas, ingratitude donatarii, superveniencia liberorum, de quibus nunc in particulari.

Quæst. 575, An & qualiter revocari possit donatio, quia inofficiosa.

1. Resp. Primò revocari potest donatio inofficiosa, qualis dicitur illa, quæ facta est contra officium paternæ pietatis in filios; ut si pater vel mater excessivè seu in tanta quantitate donavit uni vel etiam pluribus filiis, ut reliquis filiis sua legitima, hoc est, portio de bonis paternis vel maternis lege ipsis debita, auferatur vel minuat. tunc enim hi per querelam apud Judicem institutam post mortem patris revocare possunt donationem, non quidem in totum, sed in quantum ea modum excedit, & legitimam illis portionem abstulit aut diminuit, ut constat ex *L. si totas. l. si mater. & seq. c. de inoffic. donat.* Proceditque id ipsum, etsi talis donatio sit juramento confirmata; cum juramentum præstitum in damnum tertii non obliget. Clar. §. donatio, q. 24. num. 3. Gutt. de juram. p. 1. c. 9. à n. 8. Castrop. rr. 32. d. 2. p. 30. §. 2. n. 1. Muller, ad stru. h. t. th. 14. lit. 9. idem esse dicens de renunciatione hujus revocationis facta à donatore, seu illam nullum effectum habere; eò quòd illa revocatio non inducta in favorem donatoris, sed filiorum & hæredum illius. Præterea si donatio talis inofficiosa facta est personæ extraneæ absque animo fraudandi filios legitimam seu bona fide; dum v. g. quis per imprudentiam plus putans se habere in facultatibus suis, quam revera habet immoderatè & profusiores, quam legitima liberorum patitur, faciat donationes, revocari potest à filiis, non in totum, sed quatenus legitimæ eorum præjudicat. Si autem facta consilio seu animo fraudandi liberos, iisque nihil relictum donationem in totum revocari posse, idque in odium fraudis; si tamen iis relictum est aliquid, revocandam tantum usque ad legitimam debitam, docent Abb. in c. ult. h. t. n. 5. Clar. l. c. num. 2. & 4. Less. l. 2. c. 18. n. 112. Zoës. in ff. h. t. n. 76. apud Pich. h. t. n. 47. Contrarium, sive donationem in-

officiosam indistinctè, adeoque etiam factam animo fraudandi, revocandam tantum ad legitimam usque debitam filiis vel nepotibus, tenentibus Molin. d. 283. n. 12. Fachin. *L. 6. contro. c. 84.* Stru. h. t. th. 14. lit. 8. & aliis pluribus, quibus inhæret Castrop. l. c. §. 1. n. 2. citans quoque pro hac sententia Lessium, ex ea ratione, quod nullibi in jure ea distinctio expressa, fiatque tantum in citatis *ll.* (quæ donationes etiam factas extraneis comprehendunt) mentio revocationis usque ad legitimam tantum, quæ proinde, cum sit odiosa, ultra id, quod de ea ibi expressum, extendenda non est. Et certè, cum revocatio hæc donationis in totum esset mera pœna fraudis commissæ, saltem ante latam sententiam, non teneri donatarium illum extraneum, ad restituendum totum, bene dicit Molin. l. c. Porro quod dictum hic de persona extranea, idem dicendum de liberis, dum uni facta donatio cum animo fraudandi ceteros. Brunem. ad *L. 3. c. de revocat. donat. n. 2.* Muller. ad stru. h. t. th. 14. lit. 1. Et quod dictum de liberis, intelligendum de liberis, sive sint primi, sive ulterioris gradus, item etiam si posthumi. item de collateralibus germanis & consanguineis, quibus de cæterò legitima debetur; salvo tamen inter has personas ordine successionis. Lauterb. §. 43. Item de parentibus ascendentibus, ita ut ex his competat illud jus revocandi donationem inofficiosam factam à liberis usque ad legitimam iis debitam, Molin. l. c. in fine. Castrop. cit. p. 30. §. 3. n. 3. de Lugo, d. 23. n. 203. Laym. l. 3. rr. 4. c. 12. n. 18. Pich. h. t. n. 49. Arg. l. 4. c. de inoff. donat. cum querela inofficiosa donationis inducta ad similitudinem inofficiosa testamenti l. ult. e. eod. hæc autem non minus competat parentibus quam liberis juxta *l. 15. ff. de inoff. testam.*

2. Extenduntur hæc dicta de revocatione inofficiosa donationis ad casum, in quo reipsa est liberalis donatio, extrinsecè verò simulatur esse venditio, permutatio aliuvè contractus ex causa onerosa, Lauterb. §. 44. Secus est, seu locum non habet revocatio, seu querela inofficiosa donationis, ubi pater verè & reipsa titulo oneroso alienavit quid in præjudicium legitimæ liberorum, ita ut alienatio illa ne quidem usque ad legitimam revocari possit. Clar. cit. q. 24. n. 5. Covar. in c. Raynut. de restam. §. 10. n. 9. Fachin. l. 6. contro. c. 85. Laym. l. c. Castrop. l. c. §. 3. n. 1. eò quòd parentes, dum vivunt, cum rerum suarum dominium habeant, alienare possunt, & quos voluerint, contractus celebrare. *L. non usque adeo. ff. si à parent. quis fuerit manu miss.* ubi autem alienatio facta in fraudem filiorum probaretur, revocanda erit & rescindenda, non secus, ac facta in fraudem creditorum. Castrop. l. c. n. 2. saltem usque ad legitimam, si tertius, cui alienata conscius fuerit fraudis, ut sentit. Clarus. l. c. tanquam æquius contra alios à se citatos, volentes, ne quidem in hoc casu fraudis ullatenus revocandam alienationem, Uti etiam revocationi locum non esse, si pater bona sua usque ad amissionem vel imminutionem legitimæ liberorum ludo perdidisset, dicit Lauterb. l. c. eò quòd dicta revocatio seu querela hæc actio subsidiaria; pecunia autem ludo perdita alià viâ repeti possit, juxta *L. fin. de aleatorib.*

3. Resp. Secundò: Ut hæc revocatio seu querela institui possit, requiritur, ut donatio ab initio statim sit inofficiosa, & insuper legitima tempore mortis non sit salva. *L. 1. & seq. c. h. t.* Unde si pater plures donationes fecit inter vivos diverso tempore quarum primæ modum legitimam non excederunt, posteriores, tantum, quibus demum imminuta vel

adempta est legitima, hac actione impugnari posse; si verò eodem tempore facta, simulque sumpta minuunt aut tollunt legitimam, omnes pro rata revocandas, astruunt Zoëf. *h. t. n. 79.* Stru. *h. t. th. 14. lit. i.* Lauterb. §. 45. Sed neque institui potest ante mortem donatoris; eò quòd ante non præjudicet; cum adhuc non sit successio vel hæreditas, & filii vivente patre jus nullum habeant ad legitimam. Castrop. *l. c. p. 29. §. 2. n. 4. & p. 30. §. 3. n. 4.* cum Less. *l. 2. c. 18. du. 14. n. 113.* Neque etiam intra quinquennium à morte donatoris. Castrop. *l. c. juxta l. ult. c. de donat. inoff. juncta gl. penult.* et si Molin. *cit. d. 283. §. quod verò.* velit competere hanc actionem personalem querelæ spatio 30. annorum, juxta *L. sicut in rem. c. de præscrip. 30. vel 40. annor.* quam tamen sententiam oppido falsam, & nulla solida ratione probari posse, ait cum Brunne. Muller ad *Stru. h. t. th. 14. lit. 3. in fine.* ubi etiam, quòd minores opus non habeant hac actione seu querela; cum habeant remedium longè pinguius, nempe restitutionem in integrum.

Quest. 576. An & qualiter revocari possit donatio ob supervenientem donatori paupertatem.

REsp. Cùm donatione consummata donator habeat beneficium competentis vivendi, ut bene Lauterb. §. 39. adeoque etiam, si omnibus donatis non reservato sibi usufructu, inops fiat, donatarius ipsi ex iisdem alimentis præstare debeat, ut Idem citatis *L. 50. ff. de re judic. l. 8. de decur.* Supposito, quòd id non præstet, ob supervenientem paupertatem possit donatorem ad minimum partem donationis revocare, defendit apud eundem Tiraquellus ad *l. 9. c. de revocat. donat. V. omnia. n. 2. & seq.* Verùm quia hic casus potius referendus videtur ad revocationem propter ingratitude nem, paulò post de eo agemus pluribus.

Quest. 577. An & qualiter donatio revocetur ob supervenientiam liberorum.

REsp. Si quis tempore donationis non habens legitimos, nec sperans bona sua omnia aut notabilem eorum partem donavit cuicumque extraneo donatione simplice absoluta, etiam traditione consummata, eique postea nascantur filii legitimi, unus vel plures, etiam non obstante juramento de non revocando, aut facta renunciatione beneficii revocationis, licet revocare potest in totum donationem, seu potius ea resolvitur irrevocabiler, teneturque donatarius donata restituere, nisi fortè facta ad pias causas, vel nisi donans profiteatur in religione. Responsio sic explicata communis est tam Legistarum quam Canonistarum, & constat ferè quòd ad præcipua ejus membra ex claro textu. *L. si unquam. 8. c. de revocat. donat.* Ratio, in qua fundatur hujus legis dispositio, est, quòd donans non nisi sub hac conditione donasse præsumatur; si non nascantur mihi filii: cum nemo censeatur velle extraneos præferre suis liberis. Unde & verisimile est donantem tempore donationis non cogitasse de filio, & consequenter in eum eventum, quo ei filii nascantur, non donasse.

2. Dicitur itaque primo: *Tempore donationis non habens liberos legitimos, nec sperans*: si enim illos haberet, aut etiam verisimiliter speraret, quia conjugatus, juvenis & bonæ constitutionis est, cessaret dicta præsumptio, eum non cogitasse de futuris liberis, & sic factam à se donationem revocare non posset. Lauterb. *h. t. §. 54. juncto §. 57.*

Sed neque revocationi obstat, si eo tempore haberet quidem filium, sed illegitimum; quia præsumendum non est, speret talem, in quem regulariter pater non eo affectu fertur quàm in legitimum; intermittere velle donationem.

2. Dicitur secundo: *Omnia bona sua*: ad qua quia non spectat hæreditas, legatum, fideicommissum, antequam illorum dominium & possessio acquiratur, ad eorum repudiationem se non extendit. *L. si unquam*, utpote correctoria & exorbitans, sed potest quis ea repudiare, et si cogit & speret liberos sibi nascituros, citra quòd dein possit cum effectu poenitere de ea repudiatione. Tiraquel. *in cit. l. si unquam. v. donatione largitus. n. 180.* Molin. *tr. 2. d. 579. n. 23.* Sanch. *l. 7. mor. c. 7. n. 51.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 12. in fine.* quos citat & sequitur Castrop. *tr. 32. d. 2. p. 29. §. 1. n. 9.*

4. Dicitur tertio: *vel notabilem eorum partem*; ita ut non sufficiat cuicumque quantitatis, ut vult Covar. *1. var. c. 19. n. 11.* donatio, aut etiam modica & exigui pretii, quàm fecisset donator, et si de filiis nascituris cogitasset. Castrop. *l. c. n. 7.* Clarus §. *donatio. q. 22. n. 4.* Lauterb. §. 55. cum tales donationes considerata qualitate donatoris & donatarii, leves fieri exigat recta ratio & administratio bonorum ac familiarum. Sufficere tamen ad revocationem partem dimidia parte omnium bonorum minorem, & etiam rem singularem, ait Lauterb. & in genere quantitatem illam, quam donator non donasset, si de filiis nascituris cogitasset. Adhibendo etiam quòd ad, quamam donatio quantitatem notabilem contineat arbitrio prudentium virorum, ac præcipuè Judicis. Ut Molin. *d. 282.* Menoch. *de arb. cas. 133. n. 2.* Fachin. *l. 3. controuv. c. 88.* Castrop. *l. c.* Lauterb. citatis Carpz. Tiraq. Brunem.

5. Dicitur quarto: *cuicumque extraneo*: Tam et si enim *cit. l. 8. c. de revocat. donat.* loquatur de sola donatione facta à patrono libertis, ejus tamen decisionem Tiraq. *ad cit. l. v. libertis.* Cujac. *l. 20. observ. c. 5.* Fachin. *l. c. 85.* Castrop. *l. c. n. 3.* & alii passim extendunt ad quasvis alias personas, ex ea ratione legis omnibus communi; nimirum paternæ affectionis & pietatis præsumptione, quã præsumitur patrem non fuisse donaturum extraneo, sive is libertus, sive alius, si de liberis cogitasset.

6. Dicitur quinto: *donatione simplice & absoluta*: nam si donatio est remuneratoria, vel ob aliquam causam tenentem se ex parte donatoris ejusque commodum respicientem facta. V. g. ob præstita ei obsequia & beneficia, revocari nequit, ne quidem ex parte, nisi fortè quã excederet merita, ut de Lugo. *d. 33. n. 196.* ob supervenientiam liberorum. Quia non est propriè dicta donatio ex mera liberalitate procedens; sed potius mercedis præstatio & congrua bonorum administratio. Clar. *l. c. q. 23. n. 3.* Molin. *d. 282. n. ult.* Pirch. *h. t. n. 44.* Gutt. *de juram. p. 1. c. 9. n. 7.* quam sententiam communem dicit Castrop. *l. c. §. 4. n. 1.* contrarium tamen tenet valde probabiliter n. 2. cum Cujacio. *l. 20. observ. c. 3.* Fachin. *l. 3. controuv. c. 89.* & aliis; nimirum donationem, etiam remunerandi causâ factam, posse ob liberos postea susceptos revocari; saltem quòd ad partem præjudicantem legitimæ liberorum; eò quòd verisimile non sit, si cogitasset de liberis nascituris, eum, à quo beneficium accepit, remuneraturum fuisse donatione omnium bonorum, aut majoris partis eorum, aut etiam partis excedentis legitimam liberorum; præsertim

fertim cum id non exigit gratitudo, utpote quam exercere potest aliis grati animi signis. Si verò donatio ex parte donantis contineat meram liberalitatem, etsi causa, ob quam facta, teneat se ex parte tertii; ut si dotis gratià donatum sit mulieri extraneæ, revocari eam quoque non posse, neque à donatore, neque à filiis ejus, nisi in quantum inofficiosa, seu præjudicans legitimæ liberorum, tenent Molin. Gutt. Pirh. *ll. cit.* contra Zoëf. *in ff. h. t. n. 132.* eò quòd donetur illa dos ex causa onerosa, utpote donata, ut alliciatur maritus ad contrahendas nuptias cum tali persona; adeoque fieret marito injuria, si donatio illa etiam quò ad partem revocaretur. Eandem sententiam tenere videtur de Lugo. *d. 23. n. 196.* ubi etiam tradit generaliter, omnem donationem factam ob veram & proportionatam causam positam ex parte donatarii; quia jam posuit ex parte sua id, ad quò datum est, & fortassis, nisi donatio illa ad nuptias v. g. vel ad studia non præcessisset, non nupsisset, aut studia aggressus fuisset. Secus autem esse, seu non apparere, cur, in totum nequeat revocari donatio re adhuc integra, dum causa nondum posita est; quòd tunc videatur esse donatio merè gratuita; cum donatarius neque ex parte sua aliquid posuerit, nec ullam novam obligationem susceperit.

7. Dicitur sextò: *traditione consummata*: de hac enim potissimum hinc sermo est; cum dicatur donatarium debere donata restituere, & de donatione necdum completa seu verbali vix poterat esse dubium, quòd posset natis liberis revocari.

8. Dicitur septimò: *nascantur filii legitimi*: nam ob nativitatem filiorum illegitimorum donatio revocari nequit. Tum, quia nomen filiorum stat pro famosiore significato, & quæ in filiorum favorem sunt concessa, non sunt ad illegitimos extendenda, nisi eorum fiat expressa mentio: tum quia ordinariè non est tanta erga eos affectio patris, quos in peccato conceptos eum habere dedecet; neque ea necessitas providendi iis de legitima; cum communiter non solet eis provideri nisi de alimentis necessariis juxta eorum conditionem; adeoque præsumendum non est, velle patrem propter eos donationem aliorum bonorum maturè factam revocare, aut etiam eam facturum non fuisse. Et ita tenent Molin. *d. 282. §. dubium præterea.* Clar. *cit. g. 23. n. 6.* de Lugo. *d. 23. n. 188.* Castrop. *l. c. §. 1. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 45.* cum communiore contra aliquos apud Molin. Veniunt tamen etiam nomine filiorum legitimorum legitimi per subsequens matrimonium, utpote qui in omnibus seu pleno jure habentur pro legitime natis ex legitima uxore per retrotractionem; adeoque posita illa legitimatione, donatio revocabitur Molin. Castrop. Pirh. de Lugo. qui posterior etiam expressè cum aliis dicit idem de legitimatis per rescriptum principis; eò quòd soleant parentes istiusmodi filiis, qui jam verè legitimati sunt, sive per subsequens matrimonium, sive per rescriptum principis providere & attendere, ut eos in successione multorum bonorum relinquunt; adeoque præsumendum, voluisse eos & hunc casum in donatione sua comprehendere. Contrarium tamen quò ad hoc postremum tenente Castrop. Sed videtur loqui de Jure Hispanico exigente præcisè ad hanc revocationem, ut filius natus sit ex legitima uxore, qualis non est legitimatus per rescriptum Principis. Posse quoque donationem revocari, dum filius illegitimus natus ante donationem, legitimatus verò

alterutro modo post eam, tradit de Lugo. *l. c. n. 190* contra Clarum, etsi is dicat sententiam suam esse communem. Eò quòd perinde videatur, ac si de novo nascatur filius legitimus donatori; cum de novo adveniat ei obligatio providendi huic filio ut legitimo, quæ obligatio ante non erat. Quin &, quamvis communis sententia habeat, ut videre est apud Sanch. *de matr. l. 7. d. 105. n. 8.* Secus esse, seu non posse revocari donationem, si pater donator in fraudem præcisè donatarii & donationis, ut nimirum occasionem haberet revocandi donationem, procuraret legitimationem illam, tradit de Lugo. *n. 191.* cum Sanch. *l. c. n. 10.* posse revocari donationem, saltem si fieret legitimatio per subsequens matrimonium; eò quòd donator utatur jure suo. De cætero idem dicendum, seu donationem revocandam ait de Lugo. *n. 192.* si filius legitimus fuisset jam natus tempore donationis, sed pater id ignorabat, vel etiam, si natus quidem sciebatur, sed ignorabatur esse legitimus, vel etiam putabatur esse illegitimus, aut non legitimatus, cum tamen esset legitimus aut legitimatus per rescriptum Principis, patre non procurante. Sed neque nomine filiorum veniunt adoptivi, ita ut propter adoptionem subsequentem revocari possit donatio. De Lugo. *l. c. n. 193.* Lauterb. *h. t. §. 54.* eò quòd talis verè propriè & simpliciter filius non sit, sed secundum quid tantum.

9. Dicitur octavò: *Filii unus vel plures*: sive etsi unica tantum nascatur proles; præsertim, cum appellatione liberorum etiam unicus veniat filius, *L. non est ff. de V. S.* unde etiam si unicum habens filium donet, donationem revocare nequit, etsi plures post donationem nascantur filii, Brunem. ad *L. 8. ff. de revocat. donat. n. 6.*

10. Dicitur nonò: non obstante etiam juramento vel renunciatione: quia permissum non est in vi juramenti præjudicare filiis in legitima debita. Et licet pater renunciare possit beneficio revocandæ donationis in eventum filiorum, quantum suà interest, seu quantum afficit bona excedentia legitimam; in tantum enim renunciatio præjudicat donanti. Non tamen quatenus respicit filios, & sic in totum revocari potest, & in totum revocationi renunciari nequit.

11. Dicitur decimò: *donatio ipso jure resolvitur*: quia absque ulla declaratione Judicis donatum ad donatorem revertitur, & is illud vindicare potest. Cum enim datum fuerit sub conditione: nisi filii nascantur, iis natis cessat donatio, & res ad pristinum statum, dominium & arbitrium donatoris redeunt; & quidem integrè seu quò ad totum, ut probatur ex *cit. l. 8.* Castrop. *l. c. §. 1. n. 5.* Unde, ut Idem cum Covar. *l. 1. var. c. 19. n. 1.* & Mol. *d. 282.* obligatus erit donatarius, ut dicitur in responsione, restituere integrum donatum; cum omne jus, quòd in eo habebat, perierit. Quòd tamen Castrop. cum Less. *l. 2. c. 18. du. 14. n. 11.* intelligendum censet; si à donatore repetatur; cum aliàs ex præsumpta ejus voluntate interim retinere possit.

12. Dicitur undecimò: *resolvitur irrevocabiliter*: ita ut etiam filiis mortuis donatore vivo non reviviscat donatio, quæ eorum nativitate fuerat revocata; quia donatio semel extincta reviviscere nequit, nisi donator, vel nomine ipsius Princeps eam iterum renovet, quòd supponitur non fieri. Ita probabilius docent Bart. *in l. Titio Seja. §. Imperator. ff. de legat. Sylv. V. donatio q. 1. n. 3.* Fachin. *l. 3. controv. c. 90.* Molin. *d. 282. §. dubium est.* Castrop.

Castrop. l. c. §. 2. n. 7. Confirmari videtur hæc sententia ex eo, quod *L. si unquam. c. de revoc. donat.* dicatur, id totum, quod donatum erat, revertitur in donatoris arbitrio & ditione mansurum. Quod si tamen donator filiis natis & mortuis non repeteret donatum, dum facile posset, præsumendum esse, voluisse confirmare donationem, ex qua confirmatione & quasi nova donatione donatarius in donatum jus acquirat irrevocabiliter, ita ut ab hæredibus donatoris molestari nequeat, docent, quot citat & sequitur Castrop. l. c. n. 3. Anton. Gomez. *Tom. 2. de donat. c. 2. n. 12.* Tiraq. in *L. si unquam. V. suscepit liberos. n. 137.* Fachin. l. c. Supponit autem hæc sententia, donationem nato donatori filio non resolvi, seu esse irritam ipso jure, (nisi forte donans expressè voluerit esse talem in eventum nascituri filii, in quo casu nec filii eam revocare poterunt, ut Lauterb. §. 57. citatis aliis) sed solum à donatore revocabilem seu irritabilem, qualis est propter ingratitudinem donatarii. Unde etiam docet de Lugo l. c. n. 182. validitatem donationis in hoc casu mortis nati filii dependere à voluntate donatoris habita ab initio donationis, ita ut si non voluerit nato sibi filio esse eam ipso jure irritam, sed solum reservaverit sibi vel filiis suis facultatem revocandi donationem (qualiter credit communiter esse intentionem donantis; cum id sufficiat ad hoc, ut filiis donatio non noceat) morte filii non irritetur, sed rata perseveret donatio; cum eo affectu fuerit donans erga donatarium, ut solum prætulit ei filios futuros, & eum non privari re donata, nisi intuitu filiorum, seu ad consulendum iis. Unde jam mortuis filiis non poterit eam revocare; quia ea revocatio non fieret ad consulendum filii. Ita de Lugo, addens his non ob stare citata verba *L. si unquam.* cum plures non velint, quam quod in potestate donatoris sit filiorum intuitu revocare donationem, si voluerit. Sed quid si mortuo filio supervivens pater prudenter speret, sibi nasciturum rursus alium? Utique juxta de Lugo idem dicendum, quod de primo nato. Quod si verò pater ignorasset nativitatem filii, & ideo non revocasset donationem, eam revocaturus, si eam cognovisset, filio illo mortuo, adhuc perseveraturam donationem, & revocari ab eo non posse, ex eodem principio infert de Lugo n. 184. nimirum quia totum jus revocandi, quod tacitè sibi reservavit, fuit intuitu filii, cui noluit per donationem nocere, quod nocumentum, cum cesset morte filii, dein revocare non poterit donationem. Quod si è contra patre mortuo in hoc casu cognita nativitatis filii ante revocationem donationis, ubi eam revocare potuit, filius ei natus supervivat post donationem, videri eum eo ipso eam confirmasse, ita ut nec filius eam revocare possit, nisi in quantum inofficiosa est, & in præjudicium legitimæ sibi debitæ. Secus verò esse, seu filium posse contra totam donationem agere; eò quod tunc pater non censetur eam confirmasse, si pater nativitatem filii ignoravit, ex iisdem principiis deducit & probat de Lugo n. 185. Et si nec filius patri supervivens eam donationem non revocasset, uti poterat, posse tamen ejus hæredes, si sint donatoris nepotes, eam revocare; cum tunc sit eadem ratio, quæ de filiis; cum omnes suos posteros videatur donator præposuisse donatario extraneo, ait Idem de Lugo, l. c. quin & idem jus revocandi transire ad filiorum hæredes, etiam si hi

sint extranei, seu non nepotes donatoris, ait Idem. Sibi videri verius; eò quod, cum pater hoc jus reservavit filiis absque eo, quod constet illum id ita limitasse, ut illud in alios hæredes non possent transferre, censentur filii habere potestatem illud transferendi in alios hæredes; cum hoc ipsum cedat in utilitatem & bonum filiorum, posse ea bona relinquere suis hæredibus. Vide plura de his apud de Lugo.

13. Dicitur duodecimo, & per modum limitationis adjicitur: *nisi forte ad pias causas.* Dum enim facta ecclesiæ aliisve piis causis, eam revocari non posse in totum, spectato Juris civilis rigore, sed solum in quantum præjudicat legitimæ liberorum, cum ferè communi tradat Abb. in c. *fin. h. t. n. 5.* Clar. §. *donatio. q. 23. n. 2.* Molin. d. 282. n. 10. de Lugo. d. 23. n. 194. Covar. var. res. sol. l. 1. c. 19. n. 5. Castrop. l. c. n. 1. Pirh. h. t. n. 43. Less. l. 2. c. 18. du. 14 n. 109. Laym. l. 3. tr. 4. c. 12. n. 19. Ratio prioris partis limitationis est, quod ecclesia, monasterium causæque piæ habeantur instar filiorum. arg. *ant. si quæ mulier. c. de SS. eccles. donatio* autem facta filio, natis dein aliis filiis non revocatur in totum, sed tantum, in quantum præjudicat eorum legitimis. *L. si totas. c. de inoff. donat.* Dein quod præstatur ecclesiæ vel causæ piæ, præstatur Deo & in favorem animæ, quæ causa est æquè favorabilis ac filiorum. Ratio secundæ partis, quod revocari possit, in quantum præjudicat legitimæ liberorum, est, quod donans præsumatur quò ad portionem filiis debitam non prætulisse ecclesiæ, sed potius voluisse primo loco pietatis debito satisfacere, ut de Lugo. Et parentes de hac parte, utpote debitoribus liberis, disponere nequeant, ut Castrop. Dixi tamen: *Spectato rigore Juris civilis*; nam ex quadam naturali æquitate & honestate revocari & restitui posse donata ecclesiis, natis donatori præter spem filii, optimè colligitur ex c. *ult. caus. 17. q. 4.* desumpto ex S. Augustino *Sermon. 52. de vita Clericor. ad frat. in eremo*, ubi laudatur Aurelius Episcopus Carthag. quòd res omnes reddiderit cuidam, qui liberis carens (reservato sibi usufructu) donaverat ecclesiæ, dum postea præter spem genuisset filios. Dignumque id laude ex eo patet, quòd vel sic purgetur suspicio avaritiæ, commendetur pietas, & fideles excitentur ad esse liberaliores erga ecclesiæ, ut Castrop. l. c. Neque his obstant verba, quæ adduntur in *cit. c. ult. in potestate habebat Episcopus non reddere. sed jure fori, non jure poli &c.* cum hæc intelligenda non sint de non redditione in totum; quia nec jure fori, nec jure poli totum datum retinere poterat; sed de non redditione totius, excepto eo, quod legitimæ filiorum debebatur; hoc enim reliquum retinere poterat absque eo, quòd ageret contra Justitiam, aut etiam peccaret lethalter; etsi hoc ipsum etiam reddere erat honestius & majoris ædificationis. Atque ita hunc locum S. August. explicant cit. AA. Monet tamen etiam de Lugo n. 195. hodie hanc majorem honestatem non esse titulum sufficientem ad hoc, ut Prælati regularis etiam cum consensu sui Capituli donata ecclesiæ suæ integrè reddere possit sine licentia Papæ; cum absque hac licentia bona immobilia & mobilia alienari nequeant; etsi esset sufficiens ratio, ut Papa hanc licentiam concederet.

14. Dicitur denique & pariter limitatur: *nisi donans ingrediatur monasterium, & in eo profiteatur.*

lur. Nam etsi teneant quidam professione donantis non secus ac natiuitate filii revocari posse donationem à donatore non habente filios; eò quòd monasterium sit loco filii eique pareatur; probabilius tamen idipsum negant cum Felin. Tiraq. & aliis de Lugo d. 23. n. 198. Sanch. l. 7. moral. c. 3. n. 41. Wiestn. h. t. n. 22. qui tamen posterior ait, quòd res se ita habeat, si donatio alicui facta alio intuitu quàm professionis in religione emittenda; secus verò videri, si fiat isto intuitu; eò quòd talem donationem ex decreto Trid. sess. 25. c. 16. de regular. irritatam velint non pauci. De cetero ratio huius limitationis est, non tantum, quia illa juris fictio, quàm monasterium habetur, loco filii commentitia videatur, aut etiam permixta hac fictione, quia cit. *L. si unquam.* loquatur tantum de filiis veris, non fictitiis. Verum etiam ratio illius quasi à priore est, quòd donator non presumatur hunc casum exclusisse à revocatione, sicut exclusisse presumitur casum futurae prolis; cum homines etiam prudentes teste experientia non ita solliciti sint, ut provideant monasterio, quod ingressuri sunt, sicut ut provideant filiis suis nascituris; imò nunquam liberalius donent res suas etiam extraneis, quàm quando de ingressu in monasterium cogitant. de Lugo. l. c. quem vide.

Quest 578. An, qualiter, & à quo ob ingratitudinem donatarii in donantem revocari possit donatio.

1. **R**esp. ad primum: posse donationes inter vivos omnino completas, seu postquam res donata traditione jam transit in dominium donatarii, adeoque à fortiore acceptatam, sed nondum completam traditione revocari ob ingratitudinem donatarii erga donantem admissam, extra omnem controversiam est ob claros textus Juris. *c. fin. h. t. l. 1. & fin. c. de revocat. donat.* Et quidem etiam post semel tantum admissam ingratitudinem, etiam si donatarium ejus penituerit. Lauterb. h. t. §. 2. cum Mozz. de contract. tit. quom. revocat. donat. n. 69. Sunt tamen casus, in quibus ob ingratitudinem revocari non potest à donatore ejusque hæredibus, etsi sint ex iis, in quibus eam revocari posse dicitur expressè. *L. fin. c. de revocat. donat.* Et primò quidem, si donatio est remuneratoria vel ob causam; quia non est propriè donatio, sed commutatio & compensatio meritorum. *L. penult. junct. Gl. v. irrevocabilis. L. Aquilinus. ff. h. t. Gl. in Li. ult. c. de revocat. donat. v. inveniatur. Abb. in c. ult. h. t. n. 11. Barbof. ibid. n. 17. Clar. l. c. q. 21. n. 4. Molin. l. c. n. 12. Pirh. h. t. n. 37. Molin. de primog. l. 3. c. 11. n. 44. Castrop. l. c. §. 3. n. 1. Revocari tamen potest, quatenus excedit merita; quia in tantum est merè liberalis. Pirh. l. c. Reiffenst. h. t. n. 66. Canif. in c. ult. h. t. n. 19. quod idem dicit Molin. tr. 2. de f. & f. d. 281. §. illud est. de donatione remuneratoria debita tantum ex decencia & honestate, & non ex Justitia. Quod tamen rectius negare videntur. Rebell. de obl. just. p. 2. l. 18. q. 9. n. 9. Castrop. l. c. n. 2. eò quòd eo ipso, quod debeatur ex decencia, habeat vim & naturam honestæ compensationis. Hinc secundò revocari nequit donatio facta ratione dotis ob ingratitudinem mulieris vel viri; quia virtute & efficacia conditionis onerosæ, nimirum ut puella nubat, inducit rationem contractus. *L. si dotem c. de jure dotum. & l. fin. de promiss. dot.* Gutt. de juram. p. 1. c. 10. n. 4. Castrop. l. c. n. 3. qui tamen hoc ipsum variè limitat. Pirh. l. c. dicens, etiam datam ab extraneo, etiam post matrimonium solu-*

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

tum, siue extant liberi, siue non, revocari non posse. Tertio facta ecclesiæ, monasterio alterive loco pio revocari nequit ob ingratitudinem Prælati seu administratoris, vel Capituli, vel etiam utriusque. Clar. §. donatio. q. 21. n. 5. Less. l. c. n. 105. Castrop. l. c. n. 4. Azor. l. 11. c. 8. q. 5. Pirh. l. c. Zoëli. h. t. n. 97. & c. contra Abb. in c. verum. de condit. ap. posit. n. 3. quatenus sentit, posse revocari, ubi Prælatus unà cum Capitulo fuit ingratus. Ratio est, quia quòd ecclesiis causisque piis donatur, censetur principaliter donatum Deo, ut proin Prælatus vel Capitulum nec ambo simul, etsi ecclesiam repræsenterent, sed ipse Deus sit donatarius, in quem non cadit ingratitudo. Addit tamen Pirh. cum Zoëli. l. c. posse Prælatum ingratum, si fructus ecclesiæ spectent ad mensam ipsius, iis privari ad tempus vitæ suæ. Quartò collator beneficii collationem revocare nequit ob ingratitudinem collatarii in se committam; quia collatio non est merè liberalis donatio respectu collatoris; eum ex suo nihil donet, & ex necessitate officii teneatur conferre beneficia. Abb. in c. ult. h. t. n. 9. Molin. d. 281. in fine. Clar. l. c. q. 21. n. 6. Castrop. l. c. n. 6. Pirh. l. c. Quintò mater post mortem mariti libidinose vivens non potest donata filio ob ejus ingratitudinem revocare. Lauterb. h. t. §. 50. Stru. ib. 15. lit. β. juxta l. 7. c. de revocat. donat. Vide Muller. ad Stru. l. c.

2. **R**esp. ad secundum: non tamen revocatur aut irritatur donatio ipso jure, ita ut admissa ingratitudine, etiam in causa in Jure expressa donatarius teneatur donata restituere; sed prius probata in judicio ingratitudine à donatore, sententia Judicis super ea contra donatarium lata. atq. cit. *l. fin.* Molin. l. c. d. 281. §. illud. de Lugo n. 172. Less. l. c. n. 104. Rebell. l. c. p. 2. l. 18. n. 9. in fine. Castrop. tr. 32. d. 2. p. 31. §. 1. n. 12. Pirh. h. t. n. 36. Haunold. de f. & f. tr. 9. n. 260. Et si re tradita donans impediretur vi vel dolo à donatario petere in judicio revocationem, posse eum uti viâ occultæ compensationis, eum citato à Lessio. n. 106. astruit Pirh. l. c. Casu verò quo res donata tradita non fuisset, potest donator eam non tradere, & ingratum donatarium eam petentem repellere exceptione; cum cui post solutionem competit actio seu repetitio, multò magis ante illam detur exceptio; juxta *L. in vius. ff. de reg. jur.* Less. l. c. n. 105. Castrop. n. 13. Rebell. Pirh. *ll. cit.* Probata demum ingratitudine lataque sententiâ teneatur etiam in foro conscientie donatarius donata restituere; non tamen fructus ex re donata perceptos ante sententiam revocationis; cum eos receperit ex re propria, ejus dominium habebat; eò quòd quo usque accedat hæc sententia, certus sit donatarius rei donatæ dominium sibi competere, & consequenter provenientes ex ea fructus esse sub sua potestate. Ita Castrop. n. 14. aliis ab eo citatis, puta Molin. d. 281. §. quando autem. Gutt. de juram. cit. c. 9. sententibus teneri eum restituere fructus perceptos statim à contestata lite.

3. **R**esp. ad tertium: potestas revocandi donationem ob ingratitudinem competit soli donatori, & regulariter ad hæredes ejus non transit, sed extinguitur morte donantis, si in ingratitudinem scivit & tacuit, secus, si eam ignoravit. Abb. in c. fin. h. t. n. 4. Barbof. ibid. n. 23. Molin. l. c. n. 3. de Lugo l. c. n. 170. Castrop. l. c. p. 31. §. 4. n. 1. Pirh. n. 38. & DD. communiter teste Tiraq. in cit. *L. si unquam. v. susceperit liberos. n. 172.* Constatque claris textibus *c. fin. & l. fin. c. h. t.* Ratioque illius est, quòd hæc potestas & actio consurgat ex delicto, nimirum injuriâ illatâ à

fff

donat-

donatario; at actiones injuriarum extinguuntur morte injuriam passi. *L. injuriarum, ff. de injuriis, l. scum. §. qui injuriatur, ff. si quis caus.* Ad hæc actio injuriarum non censetur esse in bonis nostris ante litem contestatam; cum non sit rei persecutio, sed injuriæ illatæ vindicatio. *L. cum emancipatus, §. emancipatus, ff. de collat. bonor. & ibi gl.* præterquam quod donans, sciens sibi illatam injuriam, & potens eam vindicare revocatione donationis, eam non revocavit, nec revocationem intentavit, aut ad intentandam se paravit, censendus sit injuriam remisisse; & sic hæredes contra donatarium nihil movere possunt. Secus est, si injuriam ignoravit (intellige, etiam inculpabiliter) aut eam sciens, morte præventus aliave causâ impeditus, quò minus revocationem intentare potuerit, modò aliàs conquestus de injuria animum revocandi donationem ostenderit; tunc enim censeri nequit injuriam condonasse, & jus eam revocandi transit ad hæredes. *L. tres fratres, ff. de pactis, l. mater, ff. de inoff. testam. l. ult. de annali except. & colligitur manifestè ex c. ult. h. t. & l. ult. c. de revoc. donat. & ita docent Abb. in cit. c. ult. h. t. n. 7. Molin. cit. d. 281. n. 3. de Lugo, l. c. n. 169. Castrop. l. c. n. 2. §. 3. Pith. l. c. Sed & posse revocari donationem ab hæredibus donatoris ob injuriam illatam donatori post mortem, v. g. dum donatarius injustè læsit ejus famam vel honorem, vel promissa ei non observavit, docet de Lugo. l. c. n. 171. eò quòd, si id competabat hæredi, dum donator vivens ignoravit injuriam; quia censetur non tacuisse, id etiam ei competat, quando injuria inferenda post mortem necdum illata viventi; quia tunc multò minus censetur tacuisse: jura autem concedunt hanc facultatem, quando donator non tacuit.*

4. Resp. Ad quartum: Hæc actio revocatoria ob ingratitude[m] competit contra donatarium; contra ejus hæredes autem intentari nequit, neque res donata ab iis repeti, neque à donatore neque ab ejus hærede, donante mortuo. Ita Molin. l. c. de Lugo, n. 170. Pith. l. c. Castrop. cit. §. 4. n. 6. aliisque citati pro resp. præced. quod ipsum minus rectè probari à Molin. & aliis ex c. fin. h. t. & l. fin. c. de revoc. donat. dicit de Lugo. eò quòd citatis juribus nihil de hoc, sed solum de successoribus donatoris dicatur, quòd nequeant revocationis causam inchoare: sed melius ex eo, quòd revocatio illa sit pœna delinquentis donatarii; adeoque mortuo delinquentis ingrato non possit amplius contra ejus hæredes intentari actio ad hanc pœnam exequendam. Possè nihilominus ab hæredibus donatoris aut etiam ipso donatore adhuc vivente, dum vivente donatario ignorabat injuriam revocari donationem adversus hæredes defuncti donatarii, docent Abb. in c. ult. h. t. n. 7. Sylv. v. donatio, l. 9. n. 14. Molin. l. c. n. 3. Pith. l. c. Engels, h. t. n. 20. Reiffenst. n. 64. contrarium tenente Zoëlio. in ff. h. t. num. 104. eò quòd hæc actio competens vi. *L. fin. c. de revoc. donat.* adhuc sit ex delicto; adeoque contra hæredes delinquentis non competat, nisi lis cum defuncto sit contestata juxta *L. unic. c. ex delict. futur.*

Quæst. 579. Quorum bonorum donatio revocari possit ob ingratitude[m] donatarii.

Resp. Res donatæ aliæve pro iis comparatæ apud donatarium existentes tempore mortæ quæstionis repeti possunt, earum donatione revo-

cata. Res verò ante consumptæ vel bona fide alienatæ in hanc actionem revocatoriam non veniunt. Lauterb. in ff. h. t. §. 51. citato Mozzio. de contract. tit. quom. revoc. donat. n. 19. juxta *L. 7. de revoc. donat.* donata tamen per donatarium dein hypothecata repeti possunt; cùm hypothecatio non sit vera alienatio, cum dominium rerum hypothecatarum permaneat apud debitorem, qui in hoc casu revocationis restituit hypothecam, salvo tamen creditori jure pignoris, quod donator lucrè debet, ne tertio in jure sibi quæsito ex revocatione fiat præjudicium *L. 18. §. 2. ff. de pignor. ait ita Lauterb. l. c.*

Quæst. 580. In quibus casibus ob ingratitude[m] donatarii fieri possit revocatio donationis.

1. Resp. Primò expressos in Jure casus esse sequentes, qui in *L. fin. c. de revocat. donat.* & in *c. ult. h. t.* enunciuntur. Primus si donatarius atroces injurias in donatorem effundat, ut dicitur in *cit. l. fin. c. ult. h. t.* adeoque hic comprehenduntur tam verba injuriosa vel contumeliosa & læsiva famæ vel honoris, quam facta (absque tamen manuum injectione, quæ ad secundam causam spectant) v. g. si captivum donatorem teneat, adulterium cum ejus uxore, stuprum cum ejus filia committat. Si cornua aliudve quid simile pro morte regionis valde infamans ante fores illius appendisset. Ad quam quoque causam reducit Pith. h. t. num. 34. cum Molin. l. c. si nulla causa urgente donatarius donatorem accuset de crimine, ob quod pœna mortis, mutilationis, exilii, infamæ amissionis notabilis partis bonorum incurritur; aut si in simili causa sit testis, Procurator, Advocatus. Porò quæ atrox injuria sit, æstimandum ex circumstantiis & qualitate personæ, cui inferitur, dijudicandum relinquatur prudentis Judicis arbitrio.

2. Secundus, si manus impias & violentas in donatorem iniecerit, quod censetur fecisse, sive per se sive per alium juxta *L. non solum. de injur.* manibus graviter percussit, pedibus conculcet aut protrudat, fuste verberet, gladio vel sclopeto vulneret, lapide impetat. modò hæc culpam lethalem contineant, ut dicitur de percussione Clerici in ordine ad communicationem; cùm alias talis injectio dici non possit impia & graviter injuriosa. Unde nullatenus donatarius dici poterit ingratus, si pro sui aut proximi justa defensione hæc fecerit, vel etiam inferret donanti, quem probabili errore percutat alium. Molin. Pith. l. cit. alii- que communiter.

3. Tertius: Si notabile seu grave damnum in bonis fortunæ donatori injustè intulisset; ita ut non sufficiat hanc damnificationem intentatam esse, sed requiritur, ut actio secuta seu posita sit. verba enim pœnalis legis, qualis est illa concedens revocationem ob damnificationem, cum effectu sumi debent. Arg. *L. 1. ff. quod quisque juris.* ita de Lugo. l. c. n. 167. Castrop. cit. p. 31. §. 1. n. 5. Pith. h. t. num. 34. Quale hic censetur grave damnum arbitrio Judicis consideratis circumstantiis, præcipuè personæ donatoris, decidendum. Abb. in *c. fin. h. t. n. 2.* & AA. jam citati. Ait tamen de Lugo non sufficere quodcumque detrimentum sufficiens aliàs ad peccatum mortale.

4. Quartus: Si vitæ periculum intulerit donatori, sive per se, sive per alium, etsi inde mors secuta non sit, ut AA. citati. quin & hæc secutâ, revocatio fieri

feri nequit; non ab ipso donatore, ut patet; non ab hærede, cui ea revocatio secundum dicta non competit; neque à Judice; eò quòd ab hoc non fiat revocatio, nisi ad instantiam. Reiffenst. *h. t. n. 56.*

5. Quintus: Si donatarius non servet conditiones & gravamina, sub quibus se in donatione obligaverat, qui casus etiam in l. fin. de revoc. donat. ponatur, omittitur tamen in c. ult. h. t. ex ea foras causa; quia, ut Castrop. *l. c. n. 7.* aliud remedium consequendi rursus donatum suppetit; vel ut de Lugo & alii, hic casus non tam ad ingratitudinem, quam ad Justitiam, ex qua donatarius tenebatur conventa servare, spectat. quanquam addat de Lugo. *cit. l. fin.* plus aliquid contineri, quam quòd ad obligationem Justitiæ compelli possit donatarius ad promissa servanda; nimirum, quòd etiam in pœnam non observatæ promissionis revocari possit donatio, quam tamen non observantiam esse etiam foeciem veræ ingratitudinis ait Castrop. *l. c.* cum Guet. & fateri de Lugo. Ut tamen ob has causas institui possit actio illa revocatoria, tria conjunctim requiruntur: nimirum ut in judicio dilucidis argumentis cognitionaliter, hoc est, præsentibus & auditis partibus plene sint probatæ & approbatæ. Stru. *ad ff. h. t. lit. 2.* Muller, *ibidem.* Lauterb. §. 46. juxta *l. penult. c. de revocat. donat.*

6. Resp. Secundo: An ex aliis præterea causis ingratitudinis æqualibus vel gravioribus revocari possit donatio, non convenit inter AA. affirmant absolutè cum gl. communiter recepta. in *L. fin. de revoc. donat. v. voluerit.* Ripa, *ibidem. q. 14. n. 137.* Abb. in *c. ult. h. t. Clar. §. donatio. q. 21. n. 2. c. 3.* Menoch. *de arb. cas. 130.* Molin. *de primog. l. 1. c. 9. n. 32.* Less. *l. 2. c. 18. n. 104.* & ex Juristis Stru. in *ff. h. t. th. 15. lit. y.* Lauterb. *h. t. §. 49.* citatis Everh. in *top. loc. 111. n. 4.* Treutl. *vol. 2. d. 19. th. 7. lit. d.* qui etiam testatur, hanc sententiam in praxi servari. Cujac. in *cod. tit. de administr. tutor.* & alii passim. ex ea ratione; quòd ubi eadem est ratio, ibi eadem dispositio legis juxta *L. 32. ff. ad leg. Aquilam.* Ratio autem, cur in dictis calibus per *cit. l. c. fin.* revocatio inducatur, est, quòd donatarius loco obsequiorum benefactori inferens injurias indignum se reddit beneficio, unde quòd graves fuerint illæ injuriæ, eo indignior sit beneficio ac proinde urgentior causa revocandi donatum. His non obstante, quòd *cit. l. fin.* utatur particula taxativa & exclusiva tantum, dicaturque; ex his tantummodo causis donationis everti concedimus &c. quia per eam non excluduntur aliæ causæ æquales & graviiores, sed leviores, ut Castrop. *cit. §. 1. n. 9.* Cujac. *l. c.* dicens, leve argumentum ex his particulis desumi pro opposita sententia. Lauterb. *l. c.* & hanc sententiam communem dicit Castrop. *n. 10.* quamvis *n. 11.* probet rarè vel nunquam contingere posse casum similis vel gravioris ingratitudinis ex se revocationem donationis exigentem, qui non in prædictis casibus contineatur. & sane hæc sententia æquitate naturali conformior videtur, ut bene Pirh. *h. t. n. 35.* eamque, si æquitatem, rationem favoremque parentum considerare velimus; non posse nos non amplecti, ait Muller. *h. t. th. 15. lit. d.* fatenturque id ipsum alii; etiam oppositæ sententiæ AA. Nihilominus oppositam seu negativam sententiam tenent Molin. *de 7. c. 7. tr. 2. d. 181. §. nobis verò.* Rebell. *de obl. just. 2. p. l. 18. c. 9. n. 9.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 12. n. 17.* Zoës. in *jus can. h. t. n. 12. c. in ff. eod. n. 90. c. 91.* cum quibus sentire videtur de Lugo. *n. 173.* & in pun-
R. P. Leur. *Jur. Can. Lib. 11.*

eò juris verioremi videri ait Pirh. *l. c.* eò quòd in *l. fin. c. de revoc. donat.* absolutè restringatur ad causas ibi expressas; lex autem pœnalis, qualis est hæc; etiam propter paritatem & majoritatem rationis extendi non debeat ad casus non expressos, & sic in præsentè dicta revocabilitas ob ingratitudinem; cum ea ut supponit de Lugo, non sit de jure naturæ, sed de jure humano. Contrarium asserente Lauterb. nimirum illam revocationem odiosam non esse (intellige respectu donatoris: sed favorabilem potius, adeoque ad casus similes vel graviiores expressis extendendam. Interim tamen cum Zoësi, *cit. n. 91.* norant Pirh. *l. c.* Muller. *l. c. lit. 2.* & alii; donatarius negantem alimenta ei, à quo magnam partem bonorum dono accepit, redacto ad inopiam (quem casum AA. prioris sententiæ adducere solent pro sufficiente causa non expressa in *cit. l. fin.* ob ingratitudinem revocandi donationem, Stru. *lit. 2.*) cogi posse per Judicem ad alimenta præstanda; quòd imprimis procedere monet Brunem. *ad cit. l. fin. n. 10.* Si ex ipsa donatione inops factus sit donator, non tamen ad præstanda alimenta ultra modum rei donatæ, ut Stru. *l. c.* Uti etiam apud de Lugo advertit Rebell. quòd si res donata nondum transit in dominium donatarii, defectu nimirum traditionis, posse in foro conscientiæ donatorem cessante scandalo promissum non implere ob causas ingratitudinis æquivalentes iis, quæ in *cit. l. fin.* exprimuntur; quia videtur se non obligasse ad rem promissam in talibus circumstantiis præstandam.

Quest. 581. An donator renunciare possit potestati revocandi donationem ob ingratitudinem.

Resp. Renunciatio seu pactum, quò donator promittit in donatione, se non revocaturum illam ob ingratitudinem, non valet; & eo non obstante, revocari potest. Molin. *cit. d. 181.* (quem tamen Castrop. *cit. d. 281.*) *n. 10.* de Lugo. *d. 23. n. 174.* Pirh. *h. t. n. 39.* Castrop. *l. c. §. 2. n. 2.* citans insuper Ripa. in *cit. l. fin. q. 54. n. 180.* Tiraq. in *l. si unquam in præf. n. 140.* Gust. *de juram. p. 1. c. 9. n. 5.* Rebell. *l. c. n. 5.* quia, ut iidem, talis renunciatio est contra bonos mores, cum præbeat occasionem committendi ingratitudinem impediaturque omnino hæc legis puniendi istiusmodi ingratitudinem. Et hæc, etiam si donatio confirmata juramento; cum hoc sequatur naturam actus, cui adjicitur, Pirh. *l. c.* quòd si tamen juramentum adjiceretur ipsi renunciationi, seu promissio non revocandi confirmaretur juramento, illud servandum esse, & donationem revocari non posse; quin & juramentum non relaxandum sine consensu donatarii, tenent Tiraq. *l. c.* Gut. *l. c. c. 10. n. 6.* Molin. *l. c.* Laym. *l. c. n. 7.* quos citat Castrop. *l. c. n. 4.* dicens communem, ac insuper de Lugo, Pirh. *l. c.* ex ea ratione, quòd tale juramentum sine peccato & dispendio salutis æternæ jurantis servari potest; cum etsi illicitè sit præstitum; quia præbet occasionem peccandi, objectum tamen super quòd cadit, nimirum non revocatio donationis ob ingratitudinem secundum se est licitum; neque sinceritatem & honestatè rei juratæ impedit, quòd donatarius inde sumat occasionem delinquendi, ut Castrop. non secus ac juramentum de non petendo divortio, præstitum ab uxore, si maritus committat adulterium, servandum est juxta *c. quemadmodum. de jureju.* ut Pirh. citatis Molin. *ubi ante. n. 10.* Zoës. in *ff. h. t. n. 94.* Laym. *cit. c. 12. n. 17.* & insuper Castrop. qui tamen ipse contrarium tenet, *n. 5.* dum ait, se credere verius esse nullam
Fff 2

ex tali juramento nasci obligationem; eò quod, si simplex promissio non revocandi donationem ob ingratitudinem nulla est, quia præbet donatario occasionem peccandi, quam juramentum non impedit seu purgat, sed potius firmiorem reddat, etiam juramentum, non secus ac juramentum præstitum à negotiorum gestoribus, quòd non teneatur de dolo, furto &c. est nullum; quia promittitur aliquid,

quod anam præbet committendi delictum. Unde esto, in præfati post commissum delictum ingratitudinis licitum sit non revocare donationem; ea tamen non revocatio ante delictum promissa licita non est; cum non habeat causam, quæ occasionem, quam præbet delinquendi; vincat & honestam reddat. ita valde probabiliter Castrop. l. c. §. 2. n. 5.

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

Quæst. 582. Quid veniat nomine peculii Clericorum & quotuplex illud sit.

R Esp. Ad primum; nomine peculii in genere sic dicti quasi pusilla pecunia, vel pusillum patrimonium. *L. depositi. §. 3. ff. de pecul.* respectu Clericorum veniunt bona, quæ isti separata à bonis ad Ecclesiam immediate & directe spectantibus ejusdem Ecclesiæ permisso de facto possident ad exemplum eorum bonorum, quæ servis & filiis familias separatim à bonis domini vel patris habere permittuntur.

2. Resp. Ad secundum: est hoc Clericorum seu Beneficiatorum sæcularium triplex, & secundum aliquos quadruplex, ut communiter tradunt AA. Navar. *de re dit. Eccl. q. 1. monito 19. Valsq. tr. eod. c. 1. §. 2. du. 1. n. 16. Less. L. 2. de just. c. 4. n. 35. Laym. L. 4. tr. 2. c. 3. n. 1. Pirh. h. t. n. 2.* Primum patrimoniale quò continentur bona, quæ iis aliunde, quam intuitu beneficii, officii vel ministerii Ecclesiastici, nimirum ex hæreditate, legato, donato, vel aliis contractibus, arte vel industria, labore aliquo profano, sive ante, sive post clericatum non secus ac laicis obveniunt. Secundum quasi castrense, seu quasi patrimoniale; quod complectitur, quod Clerici, non ratione beneficii, sed ex industria vel labore aliquo spiritali & functionibus Ecclesiasticis tanquam præmia & stipendium, v. g. celebrando Missas, Sacramenta administrando, Vicarium temporalem, vel etiam Vicarium Generalem Episcopi Officiale agendo aliamve jurisdictionem exercendo, interessendo exequiis, echoro seu officiis divinis, tanquam præsentias & distributiones (quæ aliter etiam vocantur industrialia) acquirunt. Pirh. l. c. Reiffenst. h. t. n. 4. Wiestn. n. 2. qui etiam huc revocat, quæ ex congrua sibi debita ex beneficialibus proventibus frugaliter vivendo comparferunt, quæ etiam ab aliquibus speciale genus bonorum seu peculii, dicta bona patrimonialia, constituunt. Reiffenst. h. t. n. 3. juncto. n. 11. An verò his bonis annumerentur præsentias & distributiones, quas lucrantur interessendo choro & divinis officiis non ita conveniunt AA. negant Navar. *de re dit. q. 1. monito. 30. n. 2. Sanch. l. 1. mor. c. 2. du. 46. n. 4. Sarmient. de re dit. p. 3. c. §. num. 6.* & alii, quos citat & sequitur Reiffenst. h. t. n. 9. Affirmant probabiliter Covar. *inc. 7. de testam. n. 14. Tusch. lu. D. concl. 512. n. 1. Pirh. h. t. n. 2. Engels. h. t. n. 4.* ex ea ratione, quòd dentur tanquam stipendium laboris. ita an ad hoc peculium spectent bona, quæ Parochi & Curati ex talibus functionibus, quæ intuitu beneficii & officii parochialis acquirunt, non acquirunt, si tale beneficium curatum non haberent, qualia sunt obvenientia ex benedictione nuptiarum, sepulturis, administratione Sacramentorum & communiter fructus

stolæ vocantur, est controversia inter AA. Host. *in sum. h. t. n. 3.* negat hanc generalem regulam statuens, quòd omnia, quæ Clericus acquirat respectu Ecclesiæ & beneficii, non acquiratur, si beneficium non haberet, nullatenus bonis patrimonialibus vel industrialibus, sed merè Ecclesiasticis sint annumeranda; fructus verò illi stolæ acquirantur intuitu beneficii parochialis; cum res propriè dicatur acquiri intuitu & respectu alicujus rei, quæ si non respiceretur, vel non adesset, non acquireretur. Arg. *L. castrense. ff. de castrens. pecul. & §. 1. Inst. per quas pers. cuique acquirat.* ubi in simili peculium profectitium dicitur, quòd intuitu patris datur filio, non dandum, si pater non respiceretur. Nihilominus contrarium hodie communis & probabiliter affirmant. Nav. l. c. n. 19. Laym. l. c. Moiiu. d. 142. n. 2. Reiffenst. h. t. n. 7. Engels &c. eò quòd hi fructus seu redditus stolæ Clericis beneficiatis, etiam curatis, non intuitu beneficii, sed præcisè intuitu industriae seu laboris spiritalis dentur, tanquam stipendium & merces, ad quam Clerici istiusmodi non minus jus habent ob labores spiritalis, quam laici ob labores profanos. Sed neque ex eo dici possint hi fructus acquiri intuitu beneficii, quòd non acquirerentur, si beneficium non haberent; cum ad hoc beneficium videatur se habere per accidens; dum dantes ista stipendia, sine ullo respectu ad beneficium solo intuitu & consideratione laboris spiritalis sibi impensi parochi largiantur, largiunt, etiam si id beneficium non haberet teste experientia, ita ferè Reiff. l. c. Tertium est peculium profectitium, sic dictum ob similitudinem quam habet cum peculio profectitio profano, complectens bona merè Ecclesiastica (quæ etiam aliqui beneficialia vocant) utpote originaliter spectantia ad Ecclesiam, quæ dein assignata à Prælati Ecclesiasticis certis Clericis tanquam beneficium propter officium spiritali ab iis exhibitum. cujusmodi sunt redditus & proventus annui, qui ex fundis, prædiis, bonis, decimis Ecclesiæ percipiuntur v. g. ratione Episcopatus, Canoniciatus, parochiæ alteriusve beneficii titulo. Pirh. l. c.

Quæst. 583. An & quorum ex hisce bonis dominium habeant vel non habeant Clerici.

R Esp. Primò: Patrimonialium bonorum suorum Clericos sæculares hodie esse veros & absolute dominos, ac proinde de iis liberè disponere, non secus ac laicos posse ad quascunque causas, tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem, habet communis & certa, pro ut constat ex *can. Episcopi. 12. q. 1. c. 1. & §. de testam.* neque enim per Clericatus, aut Ordinum susceptionem se privant rerum suarum dominio, aut ejus à Jure in eas